C. A. Cutter

C. CORNELII TACITI

DE

SITU, MORIBUS ET POPULIS

GERMANIAE

LIBELLUS.

TEXTU RECOGNITO

CUM

SELECTA VARIETATE LECTIONIS
ET BREVI TUM ALIORUM TUM SUA
ANNOTATIONE

EDIDIT

G. FR. C. GÜNTHER,
PHIL. DR., GYMNASII SCHÖNINGO-HELMSTADIENSIS DIRECTOR.

Precht. 1828.

HELMSTADII,
E LIBRARIA FLECKEISENIANA.
MDCCCXXVI.

Lt1.438

1868, May 8.
By Exchange of duplicates
given by
Thomas Odiorne

CAROLO LAURENTIO

BIEDERMANNO,

JURI DICUNDO APUD BERNBURGENSES PRAEFECTO,

SOCERO DILECTISSIMO

PROPTER

VITAE ANTEACTAE MEMORIAM

D. D. D.

G. Fr. C. Günther.

Divenditis Bredovianae editionis exemplaribus, cum bibliopola integram typis jam denuo describi juberet, ipse ego ei auctor fui, ut mutato consilio novam potius editionem pararet. Quam cum forte nemo adesset, qui pro tempore satis paratus curare posset, rogatus ipse operam meam nec recusare potui et negotium ita suscepi, ut omissa omni fere rerum et locorum interpretatione editionem in usum scholarum quam minimo pretio parabilem conficerem. Inde factum est, ut sermonis Tacitei plurimam rationem haberem, et ex optimis, quae adhuc in lucem prodierunt, editionibus ut Dithmariana (Francof. ad Viadrum 1725), Passoviana (Vratislaviae 1817), Diltheyana (Brunsvigae 1823), Kapp-Hessiana (Lipsiae 1824), Barkeriana (Londoni 1824)

aliisque eas potissimum animadversiones excerperem, quae ad sermonem Taciteum vere et recte illustrandum spectare viderentur. Ceterum quid de ipso libello hocce Corneliano statuendum mihi esse videatur, alio loco pluribus exponam. Jam ad summam rei et aliorum virorum doctissimorum assensione gaudere mihi licet et ERN. SPANGENBERGII, Viri inter paucos et rerum Germanicarum atque bonarum omnium artium et litterarum studiosissimi.

Helmstadii ipsis Kal. Novembr.

G. FR. C. GÜNTHER.

Sigla Codicum Manuscriptorum et veterum Editionum:

Cod. Arundel. i. e. Codex Arundelianus.
: Bamb. : : : Bambergensis.
: Farnes. : : : Farnesianus.
: Hummel. : : : Hummelianus.
: Longol. : : : Longolianus.
: Turic. : : : Turicensis.
: Vatic. : : : Vaticanus I. et II.
Edit. Spir. i. e. editio Spirensis (princeps).
: Put. : : : Franc. Puteolani.
: Kath. : : : Katharensis.
: Mon. : : : Monacensis.
: Nor. : : : Norimbergensis.
: Vienn. : : : Viennensis.
: Rom. : : : Romana.
: Ald. : : : Aldina.

Vide Praeff. Passovii (Vratislav. 1817) et Kapp-Hessianae edit. (Lips. et Soraviae 1824).

Corrigenda.

P. 1. lin. 8. inf. pro tenendem — tenendum.

- 9. - 9. sup. - acvilia — ac vilia.

Cetera, si qua lateant menda doctus ipse facile corriget lector.

Taciti Germania.

I.

De finibus Germaniae.

Germania omnis a Gallis Rhaetisque et Pannoniis Rheno et Danubio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur; cetera Oceanus ambit, latos sinus et insularum immensa spatia com-

Varietas lectionis:

Rhaetisque] Ita ed. Vienn. — Codd. Mss. et Put. Nor. Mon. Rhen. Rhaetiisque. At una tantum Rhaetia Taciti tempore Romanis innotuerat cf. Tacit. Hist. I, 11; II, 98; III, 5, 15; Germ. 41; Ptol. II, 12.

cetera] Mon. ceteram.

Annotatio:

I. omnis] i. e. tota ut Caes. B. G. Gallia omnis; Sallust. Jug. 92. omnis natura; Tacit. Hist. IV, 26. omnis ripa v. DUKER. ad Flor. III, 3, 14. HESS.

Gallis Rhaetisque et Pannoniis] i. e. a Gallis Rheno, a Rhaetis et Pannoniis Danubio. PASSOV.

montibus] Bohemicis et Carpatibus.

sinus] maris intelligo cum DILTHEJO, HESSIO aliisque, nec video, cur Oceanus interiores suas partes (vel majores ut ipsum mare Germanicum et mare Balticum cum sinu Codano, vel minores Mosae, Rheni, Amisiae, Visurgis, Albis) complecti non possit. PASSOVII interpretatio de oris maritimis magno flexu in Oceanum recedentibus minus placet etiam apud Tacitum. Insuper tenendem, propter verba cetera (i. e. ceteram Germaniae partem) Oceanus ambit sequentia latos — complectens magis ad augendam Oceani vastitatem quam ad solam ipsam Germaniam spectare.

insularum immensa spatia] ut Scandinaviae, Britanniae, Hiberniae minorumque ad ostia Rheni et Amisiae sitarum, quarum ambitus fama auctus.

plectens, nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus, Rhaeticarum Alpium inaccesso ac praecipiti vertice ortus, modico flexu in occidentem versus septentrionali Oceano miscetur. Danubius, molli et clementer edito montis Abnobae jugo effusus, plures populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpit; septimum enim os paludibus hauritur.

II.

De Germanorum origine et conditoribus.

Ipsos Germanos indigenas crediderim minimeque aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos,

---

Abnobae] Alii Arnobae, Arbonae, Arnibae, Arribae. cf. Plin. H. N. IV, 12. et duo marmora in Silva nigra reperta, inscripta nomine Dianae Abnobae.

erumpit] Cod. Hummel. editt. Nor. Vienn. Rhen. erumpat.

---

nuper — regibus] Ex poetarum et oratorum more, quem cum aliis tum hac structura Tacitus sequi solet, supplendum: ut patet, ut compertum est. — nuper, ut ex relatione dictum, minus definitum: recentioribus temporibus, nostra memoria.

bellum] Non de uno bello loqui, imprimis tamen Tiberii expeditionem significare videtur. cf. Vell. Pat. II, 106.

aperuit] Aperire ut patefacere plerumque de terris aliisque rebus ut Tac. Hist. II, 18; IV, 29; de hominibus Tac. Agric. 22; Liv. III, 15.

versus] Participium. v. Duker. ad Liv. XXXVIII, 51. Pass.

clementer edito] Clementer editus de montibus Tacito familiare cf. Ann. II, 33; XV, 39; Hist. III, 52. Pass. De aliis scriptoribus v. Heind. ad Cic. de N. D. II, 57.

erumpit] Tacitus nonnullis locis (quos plurimos collegit Hess. ad h. l.) antecedente v. donec conjunctivum modum usurpare videtur, ubi et aliorum scriptorum usus et ipsa ratio vetant; ut Ann. II, 6. Rhenus — servat nomen — donec Oceano misceatur; ib. 34.

II. Ipsos] Transit a descriptione terrae ad incolas.

adventibus et hospitiis] Adventibus certae sedes, hospitiis peregrinationes significantur.

quia nec terra olim, sed classibus advehebantur, qui mutare sedes quaerebant, et immensus ultra, utque sic dixerim, adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur. Quis porro, praeter periculum horridi et ignoti maris, Asia aut Africa aut Italia relicta, Germaniam peteret, informem terris, asperam coelo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit? Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriae et annalium genus est) Tuisconem, deum terra editum, et filium Mannum originem gentis conditoresque. Manno tres filios assignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingaevones, medii Hermiones, ceteri Istaevones vocentur. Quidam, ut in

---

Tuisconem] Ita Cod. Turic. edd. Nor. Mon. Vienn.; Tuistonem edd. Spir. Put. Rhen.

ut — in] Ita Codd. Vaticani duo, ed. Nor.; autem Cod. Turic.

---

terra — advehbantur] solenni figura pro terra adveniebant — classibus advehebantur. Insigne zeugmatis exemplum apud Corn. Nep. Thras. IV, 1. corona — quam amor civium, non vis expresserat. Hom. Il. I. 532. Θέτις — εἰς ἅλα ἆλτο βαθεῖαν ἀπ' αἰγλήεντος Ὀλύμπου, Ζεὺς δὲ ἑὸν πρὸς δῶμα.

nec — et] arctius jungit membra periodi, ut Graece, οὔτε (μήτε) — τέ.

adversus Oceanus] Optime Pass., verbis utque sic dixerim patere, reconditi quid in adjectivo adversus latere: Oceanus, extra orbem Romanum situs eodem sensu adversus dictus esse videtur, quo Ciceroni Som. Scip. 6 de remotissimis regionibus loquuturo adversa terrae pars. Mentem Pass. non assequutus est Barker. cf. Virgil. Ecl. I, 57. et penitus toto divisos orbe Britannos.

Asia — Italia] Asia, maxime quam dicimus minorem Just. XLI, 5; XLII, 4; Africa provincia, terra Carthaginiensium; Italia vid. Virgil. Georg. II, 136—177.

peteret — sit] Praesens ut de re vera.

memoriae et annalium] quasi opponuntur, quanquam scriptos exstitisse libros inde colligi non potest.

originem] i. e. auctorem ut Ann. IV, 9; Virgil. XII 168. Hess.

licentia vetustatis, plures Deo ortos pluresque gentis appellationes, Marsos, Gambrivios, Suevos, Vandalios affirmant: eaque vera et antiqua nomina. Ceterum Germaniae vocabulum recens et nuper additum, quoniam, qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint. Ita nationis nomen, non gentis evaluisse paulatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox a se ipsis invento nomine Germani vocarentur.

III.

De Germanorum Hercule, cantu et Ulixe.

Fuisse apud eos et Herculem memorant primumque omnium virorum fortium, ituri in proelia, canunt. Sunt illis haec quoque carmina, quorum

---

mox a se ipsis] Cod. Arund. mox et a se ipsis.

---

ut in licentia] sc. fieri solet cf. Corn. Nep. Epamin. V, 2. ibique annot. meam.

nunc Tungri] vocentur. c. Tacit. Hist. IV. 15. et 16.

Ita—vocarentur] Locum vexatissimum primus recte interpretatus est G. L. Walchius Emendd. Livian. p. 79. et constantem librr. mss. lectionem unice veram esse docuit: „Ita unius populi nomen, non autem gentis universae nomen paullatim hominum usu vim obtinuisse, ita ut Germaniae incolae primum secundum (a vict. ut Graece ἀπό) victores Tungros ab iis, qui sibi metuebant ab illis, mox a semet ipsis invento nomine Germani appellarentur.“ Equidem, ut ingrata, immo vix toleranda διλογία praepositionis *a* tolleretur, vestigia Cod. Arund. sequutus pro a se ipsis suspicatus sum apud ipsos. Ephem. litt. Hal. 1821. Nro. 276. Qui plura velit, adeat Seebod. bibl. crit. 1821. sqq. — evaluit cf. c. 28. Hist. I, 80; ἐκνικῶν Thucyd. I, 3. Bredov.

III. Herculem] Interpretatione Romana c. 34; cf. c. 9. Ann. II, 12.

primum] ut principem, fortissimum.

haecquoque] i. e. talia Diltheij.

relatu, quem Barditum vocant, accendunt animos futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur. Terrent enim trepidantve, prout sonuit acies; nec tam voces illae, quam virtutis concentus videntur. Affectatur praecipue asperitas soni et fractum murmur objectis ad os scutis, quo plenior et gravior vox repercussu intumescat. Ceterum et Ulixem quidam opinantur longo illo et fabuloso errore in hunc Oceanum delatum adisse Germaniae terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm hodie incolitur,

---

B a r d i t u m] Ita Codd. Farnes. Arund. ed. Nor.; rectius fortasse, quod in reliquis edd. vett. B a r i t u m; Oberlin. B a r r i t u m; P. Burmann. B l a n d i c u m.

v i r t u t i s c o n c e n t u s] Ita Cod. Turic. edd. Spir. Nor. Put. Vienn. Rhen. prior; m e n t i s c. Codd. Arund. Bamb.

h o d i e] Ita Cod. Turic. edd. Spir. Put. Mon.; h o d i e q u e edd. Nor. Vienn. Rhen. Ald.

---

r e l a t u, q u e m] Relatus sive cantus ipse vocatur c a n t u s t r u x Tacit. Hist. II, 22. Hess. Eodem modo Liv. XXI, 28. G a l l i o c c u r s a n t i n r i p a m c u m v a r i i s u l u l a t i b u s c a n t u q u e s u i m o r i s.

f u t u r a e q u e p u g n a e f o r t u n a m] i. e. commissae quidem, sed nondum finitae exitum.

T e r r e n t e n i m t r e p i d a n t v e] voce, i. e. modo terribilem modo formidolosam vocem edunt ad sonitum aciei seu laetum seu tristem.

f r a c t u m m u r m u r] Virgil. Georg. IV, 72. e t v o x A u d i t u r f r a c t o s s o n i t u s i m i t a t a t u b a r u m. Hess.

r e p e r c u s s u] Antiquiores scriptores dicere solent r e p e r c u s s a, r e p e r c u t i e n d o.

U l i x e m q u i d a m] Inter hos certe fuit Strabo III. p. 149, qui Ulyssem Tartessum ultra progressum esse urbemque Ulysseam (Ulyssopolim, Lisboam) et alia sexcenta errorum Ulyssis in Hispania vestigia exstare contendit cf. Solin. Polyh. 25. 26. Bredov.

A s c i b u r g i u m] cf. Hist. IV, 33. Addo verba H. S. van Alpen (in W. Aschenberg. Niederrheinische Blätter IV. 1802 — 1808.): Das Burgfeld, eine erhöhete Fläche, die durch ehemalige Ueberströmungen des Rheins zu einer Insel geworden war, ist der eigentliche Ort, wo nicht weit von dem gegenwärtigen Dorfe A s b e r g im Fürstenthume Meurs, zur Zeit der Römer A s c i b u r g i u m stand.

ab illo constitutum nominatumque; aram quin etiam Ulixi consecratam, adjecto Laërtae patris nomine, eodem loco olim repertam, monumentaque et tumulos quosdam, Graecis litteris inscriptos, in confinio Germaniae Rhaetiaeque adhuc exstare. Quae neque conrfimare argumentis neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem.

IV.

De Germanorum corporibus.

Ipse eorum opinionibus accedo, qui Germaniae populos nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos propriam et sinceram et tantum sui similem gentem exstitisse arbitrantur. Unde habitus quoque corporum, quanquam in tanto hominum numero, idem: omnibus truces et caerulei oculi, rutilae co-

---

nominatumque] Cod. Arund. addit inextricabilem vocem Ἀσυτεάγιων; Cod. Venet. (Pertz It. Italic. p. 45.) Ἀσκίπυρκον.

proprium] Cod. Arund. propterea.

Ulixi] i. e. ab Ulixe, cf. Suet. Aug. 1. ara Octavio consecrata. Pass. Alteram interpretationem vetat ipsa res.

adjecto — nomine] i. e. Λαερτιάδῃ.

Graecis litteris] Caes. B. G. I, 29: in castris Helvetiorum tabulae repertae sunt litteris Graecis confectae; VI, 14: Galli in publicis privatisque rationibus Graecis utuntur litteris. — Massiliam coloniam deduxerant Asiatici Phocaeenses, Graeco sermone usi; a quibus Galli usum vitae cultioris discentes litterarum quoque usum, qui antea apud eos nullus erat, accepisse videntur. Strab. IV. p. 179. Justin. XLIII, 4. Bredov.

Quae — fidem] cf. Liv. Prooem. Dilthey.

IV. nullis aliis aliarum] additum aliis vel ad augendam enuntiationem vel potius ex usu elegantioris orationis.

infectos] Verbis inficere, vitiare, corrumpere, venenare et Graecis μιαίνειν, μολύνειν, φθείρειν non adhaerere notionem rei in pejus mutatae sed mixtae tantum et

mae, magna corpora et tantum ad impetum valida; laboris atque operum non eadem patientia; minimeque sitim aestumque tolerare, frigora atque inediam coelo solove assueverunt.

V.

De Germanorum terra, opibus et pecunia.

Terra, etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida aut paludibus foeda; humidior, qua Gallias, ventosior, qua Noricum ac Pannoniam aspicit; satis ferax, frugiferarum arborum impatiens; pecorum fecunda, sed plerumque improcera: ne armentis quidem suus honor aut gloria

---

magna — valida] Codd. Arund. et Bamb. corpora tantum impetu valida.

---

non jam sincerae ita cum Passovio arbitror, ut tamen cum indignatione quadam animi dictum sit.

tantum — valida] cf. Ann. II, 14: Corpus ut visa torvum et ad brevem impetum validum, sic nulla vulnerum patientia.

coelo solove] Coelo frigora, solo inediam tolerare assueverunt.

V. aliquanto] Ne Ernestii illud ad Sueton. Caes. 86: „aliquanto est longe et plurimum" in errorem induceret F. A. Wolfius (ad c. 10. p. 13.) monuit: „Aliquantum per se incertae potestatis est, sicut cognata vocabula aliquis, aliquamdiu, aliquot, v. c. quum dicitur: aliqua inest difficultas, aliquot anni etc. Hi possunt esse decem, possunt etiam esse 40, 60." — Ita hoc loco aliquanto nequaquam est non parum, multis partibus. Bredov.

satis ferax] i. e. segetibus. Virgil. Georg. II, 222. ferax oleo; Plin. Epist. IV, 15. ferax bonis artibus. Pass.

improcera] „Terra nostra est improcera ob improcera corpora pecudum" F. A. Wolf. Ann. I, 10. p. 36. Simillima est breviloquentia c. 6. nudi aut sagulo leves. Pass. Quae tamen dictio fera superat etiam poetarum usum ut εἰς δαίμονι γαῖα; aram adolere thure etc. Differt etiam aliquantum dictio capitis 6. sagulo leves. Lipsius proposuit pleraque.

suus honor] Gravitas e pinguedine et nitore. Bredov.

frontis. Numero gaudent; eaeque solae et gratissimae opes sunt. Argentum et aurum propitii an irati Dii negaverint, dubito. Nec tamen affirmaverim, nullam Germaniae venam argentum aurumve gignere; quis enim scrutatus est? Possessione et usu haud proinde afficiuntur. Est videre apud illos argentea vasa, legatis et principibus eorum muneri data, non in alia vilitate quam quae humo finguntur. Quanquam proximi, ob usum commerciorum, aurum et argentum in pretio habent formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt atque eligunt, interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant veterem et diu notam, serratos bigatosque. Argentum quoque magis quam aurum sequun-

---

eaeque] Mon. eaque.

et] Vienn. his.

propitii] Vienn. Nor. propitiine male!

vilitate] Vienn. utilitate. Nor. omisit quoque post Argentum.

Suus i. e. debitus, proprius ut etiam apud alios scriptores prosarios.

numero gaudent] i. e. ut informiora ita plura habent armenta.

irati] cf. Ovid. Met. I, 140: effodiuntur opes, irritamenta malorum. Dilthey.

nullam venam] vid. Ann. XI, 20. Bredov.

proinde] Constantem veterum librr. mss. et impress. lectionem tuetur Passov. cum aliis tum Lucretii versibus IV, 652; III, 1056.

Est videre] Tam prope altero alteri vocabulo apposito vix apud prosarium aureae aetatis scriptorem legitur haec structura, quae magis frequentatur Graecis ἔστιν pro ἔξεστιν.

non in alia vilitate] i. e. eadem. De vera potestate vocabulorum similis (Virg. Aen. I, 136.) ὁμοῖος (Hom. Iliad. I, 228.), aliis ejusmodi ex mente tantum dicentis et universa verborum structura judicandum.

proximi] proxime ad Rhenum et Danubium accolentes.

sequuntur] expetunt cf. Virg. Eclog. II, 62—56, ubi transitum alterius in alteram significationem cognosces.

tur, nulla affectione animi, sed quia numerus argenteorum facilior usui est promiscua acvilia mercantibus.

VI.

De re militari.

Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. Rari gladiis aut majorihus lanceis utuntur. Hastas, vel ipsorum vocabulo frameas, gerunt, angusto et brevi ferro, sed ita acri et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus vel eminus pugnent. Et eques quidem scuto frameaque contentus est; pedites et missilia spargunt, plura singulis atque in immensum vibrant, nudi aut sagulo leves. Nulla cultus jactatio; scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt. Paucis loricae; vix uni alterive cassis aut galea. Equi non forma, non velocitate

---

affectione] Nor. Rhen. affectatione.
plura] Rhen. Nor. pluraque.
Distinguunt] Cod. Hummel. distinguuntur.
galea] lectionem praebet Cod. Turic.; ante Rhenanum omn. edd. galeae.

---

nulla affectione animi] i. e. nulla cupiditate.

VI. ferrum] cf. tamen c. 43. Plut. Mar. 25; recte igitur superest i. e. abundat. Hist. I, 51, 83; Agric. 45; Corn. Nep. Hannib. 7.

vel] pro sive, Ciceroni inauditum.

angusto — sed ita] angusto quidem — sed tam acri.

scuto] vid. Tacit. Ann. II, 14.

nudi] Caes. B. T. VI, 21: Pellibus aut parvis rhenonum tegimentis utuntur, magna corporis parte nuda. — Proprio sensu et quidem de superioris corporis nuditate intelligendum esse, sequentia verba docent; alio sensu Graeci de militibus γυμνός, γυμνῆτες usurpant. cf. c. 20.

sagulo leves] i. e. sagulo leviter induti.

coloribus] Ariorum nigra scuta memorantur c. 43.

cassis aut galea] Differunt aliquanto cassis et galea; illa enim de corio est, ista de lamina, inquit Isidor. XVIII, 14. Forcell.

conspicui; sed nec variare gyros in morem nostrum docentur; in rectum aut uno flexu dextros agunt ita conjuncto orbe, ut nemo posterior sit. In universum aestumanti plus penes peditem roboris; eoque mixti proeliantur, apta et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni juventute delectos ante aciem locant. Definitur et numerus: centeni ex singulis pagis sunt idque ipsum inter suos vocantur; et quod primo numerus fuit, jam nomen et honor est. Acies per cuneos componitur. Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. Corpora suorum etiam in dubiis proeliis referunt. Scutum reliquisse praecipuum flagitium, nec aut sacris adesse aut concilium inire ignominioso fas; multique superstites bellorum infamiam laqueo finierunt.

---

nec — docentur] v. Virgil. Georg. III, 190 sq.; Cic. Offic. I, 26. ibique Beier.

posterior] Comparativus pro superlativo modo, ut saepius apud poetas.

aestumanti] Structura Graecis frequentatior ut Thucyd. II, 51: Τὸ μὲν οὖν νόσημα, πολλὰ καὶ ἄλλα παραλιπόντι ἀτοπίας — τοιοῦτον ἦν ἐπίπαν τὴν ἰδέαν. Et Tacito ex more poetarum Dativi usum familiarem esse, plurimis demonstravi. Athen. II, 2. p. 274. sqq.

eoque mixti] v. Caes. B. G. I, 48. Germanos in pugna Pharsalica imitatus est. Caesar. B. C. III, 70, 84. Passov. Graecis quoque erant πεζοὶ ἅμιπποι Xen. Hell. VII, 5.

equestrem pugnam] i. e. ad pugnam equitum.

idque ipso] i. e. eoque ipso nomine.

nomen et honor] i. e. jam non solum nomen sed et honor est.

consilii quam formidinis] Omissionem adverbii magis ut Latinitati congruentem ita Tacito frequentatam demonstravit Pass. ut Ann. I, 58; III, 17; V. 6. De universa re doctissime egit G. G. Nitsch Plat. Jon. Lips. 1822. in dissertatione ad calcem subjecta de comparativis Graecae linguae modis.

etiam in dubiis proeliis] i. e. jam eo ipso tempore, quo dubius adhuc proelii eventus est.

finierunt] Hoc loco similibusque tempus praeteritum,

VII.

Dè regibus, ducibus et sacerdotibus; de ratione instuendi aciem.

Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. Nec regibus infinita aut libera potestas, et duces, exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt. Ceterum neque animadvertere, neque vincire, nec verberare quidem, nisi sacerdotibus permissum: non quasi in poenam, nec ducis jussu, sed velut Deō imperante, quem adesse bellantibus credunt; effigiesque et signa quaedam, detracta lucis, in proelium ferunt.

---

aut libera] Cod. Turc. ac libera; non male!

nec verberare] Libri praeter Arundel. omnes ne verberare.

imperante] Cod. Arund. inspirante; lectio memorabilis Pass.

---

ut fere in medio positum inter significationem praeteriti, et aoristi, transitum alterius in alterum significatum docet. Virg. Georg. I, 49. illius immensae ruperunt horrea messes.

VII. ex nobilitate — ex virtute] i. e. secundum nobilitatem — virtutem. Reges ad pacem, duces ad bellum spectatur cf. c. 9. ex magna.

aut libera] Si recte se habet recepta lectio, infinita de tempore, libera de potestate intelligendum.

duces] seu ipsi reges sint sive alii.

exemplo — imperio] sc. duces creati exemplo probatae virtutis quam imperio accepto. cf. Corn. Nep. de Regg. I, 2.

agant] Conjunctivus, ut ad judicium admirantium, non mentem scriptoris trahatur.

animadvertere] i. e. interficere Hist. I, 46, 68; IV, 49. Bredov. cf. Germ. 11. Aliter Caes. B. G. VI, 23.

non quasi] Praeposita negandi vocula, ut augeatur negatio.

adesse bellantibus] Sensu proprio pro bellis, proeliis interesse.

effigiesque et signa] bellica c. 9; c. 45; imprimis ferarum. Hist. IV, 22. Bred.

Quodque praecipuum fortitudinis incitamentum est, non casus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae et propinquitates; et in proximo pignora, unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium. Hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. Ad matres, ad conjuges vulnera ferunt; nec illae numerare aut exigere plagas pavent; cibosque et hortamina pugnantibus gestant.

VIII.

De feminarum fortitudine; Veleda et Aurinia.

Memoriae proditur, quasdam acies, inclinatas jam et labantes, a feminis restitutas constantia precum et objectu pectorum et monstrata cominus captivitate, quam longe impatientius feminarum suarum

---

ad conjuges] Nor. et conj.; male!
aut exigere] Cod. Turic. nec exigere cf. c. 6. sub fine.

---

turmam aut cuneum] equitum peditumque.
pignora] matres, uxores, liberi.
audiri] i. e. auditur; non potest enim esse audiatur, quod elegantius dictum foret.
vulnera ferunt] i. e. regressi vulnera ostendunt.
exigere] i. e. numerare et expendere atque comparare inter se vulnera cum laude ejus, qui majora et honestiora tulerit. J. Fr. Gronov. obss. p. 60.
hortamina] i. e. aliasque res et ipsa verba, quibus pugnantes ad fortitudinem adhortentur. Minime vero tantum de conjugibus parvisque liberis intelligendum, ut quidem Hist. IV, 18. diserte nominantur hortamenta victoriae vel pulsis pudor.
VIII. a feminis restitutas] v. Plut. Mar. 19; 27. Flor. III, 3. Dilthey.
objectu pectorum] i. e. objectis pectoribus non hostium telis sed recedentibus viris, mortem pro captivitate expetentes.
monstrata cominus captivitate] i. e. monstrantes, cominus i. e. in proximo esse captivitatem. Favet huic interpretationi, immo flagitat verborum positura.
feminarum — nomine] i. e. propter feminas suas.

nomine timent, adeo, ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur. Inesse quin etiam sanctum aliquid et providum putant, nec aut consilia earum aspernantur aut responsa negligunt. Vidimus sub divo Vespasiano Veledam, diu apud plerosque numinis loco habitam. Sed et olim Auriniam et complures alias venerati sunt, non adulatione, nec tanquam facerent Deas.

IX.

De cultu Deorum.

Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem ac Martem concessis animalibus placant. Pars

---

Auriniam] Cod. Farnes. Flurinam; unde fecit Lipsius Aluriniam (Alruniam); Jornandes de reb. Gothic. 24. Aliorunam vocat.

---

adeo] i. e. idque, et quidem eo usque, ut.

obsides puellae] v. interpp. ad Suet. Octav. 21. Pass.

sanctum aliquid et providum] i. e. divinum et futura praesentiens Ernest. cf. Caes. B. G. I, 50; Strabo p. 294. Sanctum aliquid accedit ad fere sensum structurae sanctum quoddam.

Vidimus] aut ipse Tacitus Romae, quo prodita a suis popularibus Veleda (Hist. V, 25.) forsitan ducta erat (cf. Stat. Silv. I, 4, 89.), aut alii Romanorum per ipsam Germaniam iter facientes.

Veledam] v. Hist. IV, 61, 65.

Auriniam] Non singulae cujusdam mulieris magae, sed omnium feminarum fatidicarum inter Germanos nomen fuisse videtur, quas nationes septentrionales Alrunas vocabant i. e. omnium rerum gnaras.

IX. Mercurium] Ex interpretatione Romana ubique judicat de rebus divinis Tacitus.

certis diebus] statis diebus.

humanis — hostiis] Etiam facere cum Ablativo legitur Virg., Ecl. III, 77.

concessis animalibus] i. e. quibus aliae humaniores gentes sacrificant, humanis victimis litare nefas putantes. Ernest.

Suevorum et Isidi sacrificat. Unde causa et origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum, in modum Liburnae figuratum, docet advectam religionem. Ceterum nec cohibere parietibus Deos neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine coelestium arbitrantur. Lucos ac nemora consecrant deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident.

X.

De sortibus et auspiciis.

Auspicia sortesque ut qui maxime observant. Sortium consuetudo simplex: virgam, frugiferae arbori decisam, in surculos amputant eosque, notis quibusdam discretos, super candidam vestem temere ac fortuitu spargunt. Mox, si publice consuletur, sacerdos

---

sacrificat] Vienn. sacrificant.
decisam] Cod Long. descisam.
consuletur] Rhen. e conj. consulatur, Muret. consultatur.

---

peregrino] Aegyptiaco.
Liburnae] sive Liburnicae v. interpp. ad Hor. Od. I, 37, 30. et Epod. I, 1.
ex magnitudine] i. e. consentaneum magnitudini, dignum magnitudine cf. c. 7. ex nobilitate — virtute.
lucos et nemora] Lucus (a λύκη crepusculum) sylva densior, obumbrans; nemus (νέμος) sylva rarior, in quo jumenta et pecora pascuntur (Gehölz). Bredov.
sola reverentia] quasi sola mente, non oculis, ut quod non posito simulacro oculis conspici possit.

X. Auspicia] i. e. aviuspicia, observatio signorum, quae ab Deis ipsis dari videbantur. Bredov.
observant] curant et procurant.
temere] sine ordine et consilio Kapp. temere ac fortuitu v. Heusinger. et Gernh. ad Cic. de Offic. I, 29.
consuletur] Verbum consulere jure locum suum tenere arbitror cum Passovio, quem v. ad h. l. Injuria Barkerus ex substantivo consultatio deinceps sequente Mu-

civitatis, sin privatim, ipse pater familiae, precatus deos coelumque suspiciens ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio; sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur. Et illud quidem etiam hic notum, avium voces volatusque interrogare. Proprium gentis, equorum quoque praesagia ac monitus experiri. Publice aluntur iisdem nemoribus ac lucis candidi et nullo mortali opere contacti; quos pressos sacro curru sacerdos ac rex vel princeps civitatis comitantur hinnitusque ac fremitus observant. Nec ulli auspicio major fides non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes; se enim ministros deorum, illos conscios putant. Est et alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorant. Ejus gen-

---

sed apud proceres] sed omisit Nor.; male, cum sit pro sed etiam.

---

reti conjecturam consultatur defendere conatur. In rebus grammaticis minus fere valet consequentia a posse ad esse. Potius reciperem Rhenani conj. consolatur, cujus modi ratio h. l. optima cf. c. 14. torpeat et c. 17. desit.

prohibuerunt] cf. ad c. 6. finierunt; de modo cf. c. 11. sub fin. displicuit.

adhuc] ad hoc, insuper.

et — etiam] Animadvertas copiam dicendi etiam apud Tacitum.

avium voces] oscinum, praesagarum.

Proprium] pro substantivo, ideoque cum genitivo junctum; cujus structurae magis etiam memorabile exemplum v. Corn. Nep. Lys. I, 5. ibique meam annot.

proprium gentis] Respicit Romanos; nam Persas quoque equis candidis in rebus sacris usos esse, Tacitum certe non fugerat. v. Herodot. I, 189; VII, 1, 55. Justin. I, 10, 5. Passov.

iisdem nemoribus] v. c. 9.

nullo mortali opere] i. e. nullo hominum opere; et Graece ἔργα ἀνθρώπων.

pressos sacro curru] i. e. qui currui subjuncti. cf. Ovid. Metam. XIV, 819. pressos temone equos.

conscios] sc. divinorum consiliorum v. Heyne ad Tib. I, 8, 3; conscia fibra Deorum; III, 4, 5.

tis, cum qua bellum est, captivum, quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum patriis quemque armis, committunt; victoria hujus vel illius pro praejudicio accipitur.

XI.

De consultationibus.

De minoribus rebus principes consultant, de majoribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur. Coëunt, nisi quid fortuitum et subitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoatur luna aut impletur; nam agendis rebus hoc auspicatissimnm initium credunt. Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant; sic constituunt, sic condicunt; nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non simul nec ut jussi conveniunt, sed

---

pertractentur] Muret. Grot. Acid. Conring. praetractentur, vocem inauditam, temere Tacito obtruserunt.
inciderit] Pat. Mon. Vienn. incidit.
auspicatissimum] Omnes editt. praeter Rom. auspicacissimum.
nec ut jussi] Ita cod. Hummel.— Cod. Arund. nec ut jussu. Cod. Bamb. nec jussu. Cod. Long. nec injussi.

XI. penes plebem] i. e. non apud solos principes, sed et penes plebem.
pertractentur] i. e. non solum deligentius tractentur, sed et decernantur,
auspicatissimum] i. e. optimis auspiciis factum. Quinctil. X, 1: auspicatissimum exordium. Hess.
sic — condicunt] Constituere est cum aliquo aliquid statuere (verabreden) ut pecuniam in hanc diem me soluturum esse constitui, aut: pecuniam in hanc diem constitui. Condicere est denunciare, rem esse agendam iu certam diem, condicere diem (einen Termin setzen). Bredov. cf. J. Fr. Gronov. obss. I, 1. p. 13. Pass.
ex libertate] sc. ortam, cujus voc. omissionem patitur positura verborum.
nec ut jussi] non constituto tempore, quasi aliena auctoritate pressi et coacti.

et alter et tertius dies cunctatione coeuntium absumitur. Ut turbae placuit, considunt armati. Silentium per sacerdotes, quibus tum et coercendi jus est, imperatur. Mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur auctoritate suadendi magis, quam jubendi potestate. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur; sin placuit, frameas concutiunt: honoratissimum assensus genus est, armis laudare.

XII.

De accusationibus et poenis.

Licet apud concilium accusare quoque et discrimen capitis intendere. Distinctio poenarum ex delicto: proditores et transfugas arboribus suspendunt; ignavos et imbelles et corpore infames coeno ac palude, injecta insuper crate, mergunt. Diversitas

---

tum] Cod. Long. tamen.

---

ut turbae placuit] i. e. simulac satis frequentes convenerunt, ut primum multitudini placuit.

armati] cf. c. 13. nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi armati agunt.

coërcendi] sc. poena. Suet. Aug. 40. multiplici poena coërcito ambitu.

armis laudare] i. e. armis collisis sententiam approbare. Gronov. in honorem alicujus collisis armis sonitum edere. Hess. cf. Hist. V, 17. Caes. B. G. VIII, 21.

XII. discrimen capitis intendere] i. e. causam in aliquem magna cum vi intendere, ut de vita et nece discernatur. Bredov.

ignavos] i. e. qui rem suam negligenter tractant nihilque praeclari gerere student. Ignavi opponuntur strenuis, fortibus, conjunguntur timidis, imbellibus. Kapp.

imbelles] i. e. militiam detrectantes. Hess.

corpore infames] i. e. quocunque non tantum venereo corporis abusu contempti.

supplicii illuc respicit, tanquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed et levioribus delictis, pro modo poenarum, equorum pecorumque numero convicti multantur. Pars multae regi vel civitati, pars ipsi, qui vindicatur, vel propinquis ejus exsolvitur. Eliguntur in iisdem conciliis et principes, qui jura per pagos vicosque reddunt. Centeni singulis ex plebe comites, consilium simul et auctoritas, adsunt.

XIII.

De armorum honore, institutione juvenum, gradibus comitum et comitatus dignitate.

Nihil autem neque publicae neque privatae rei, nisi armati agunt. Sed arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio vel principum aliquis vel pa-

---

pro modo poenarum] Constantem Codd. lectionem corrupit Acidalius ingeniosa conjectura: pro modo, poena, qui — reddunt] Codd. Arund. et Bamb. mira diversitate: qui vita per pagos vicosque excellunt.

Tum] Editt. ante Rhen. omnes Tum eum i. e. puerum ornant ornatumque juvenem renunciant.

pater] Cod. Long. ipsi (i. e. cives), male et ipsum et ob sequ. v. propinqui.

---

scelera — flagitia] Scelus poena, flagitium contemptu dignum.

puniuntur] Indicativus modus vix potest ferri.

levioribus delictis] Verba non pendent a remotiore voc. convicti; accedunt potius ad potestatem ablativorum abss., quibus perspicuitatis causa addi solet praepositio in, de aliaeque cf. Corn. Nep. Attic. XI, 1; Milt. I, 4. ibique annotationem meam. Cic. Off. I, 15, 3. ibique Heusing.

et principes, qui — reddunt] i. e. et ii principes, qui — ad jus reddendum institui solent. Hunc sensum flagitat modus Indicativus.

XIII. suffecturum] sc. armis gerendis laboribusque belli sustinendis.

ter vel propinquus scuto frameaque juvenem ornant. Haec apud illos toga, hic primus juventae honos. ante hoc domus pars videntur, mox reipublicae. Insignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem etiam adolescentulis assignant: ceteris robustioribus ac jam pridem probatis aggregantur. Nec rubor, inter comites aspici. Gradus quin etiam et ipse comitatus habet judicio ejus, quem sectantur; magnaque et comitum aemulatio, quibus primus apud principem suum locus, et principum, cui plurimi et acerrimi comites. Haec dignitas, hae vires, magno semper electorum juvenum globo circumdari: in pace decus, in bello praesidium. Nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat;

---

magno semper electorum] Nor. magno semper et electorum.

cuique] omisit Nor.; male ob antec. v. sua.

---

ornant] Usitatius dictum esset ornat propter repetitam particulam vel - vel - vel, de cujus potestate v. Corn. Nep. Alc. I, 1. ibique Interpp. De verbo ornare. v. Corn. Nep. Themist. II, 3. ibique annotationem meam.

Haec — toga] i. e. hoc apud Germanos signum τῆς ἐφηβείας, ut apud Romanos assumpta toga virilis.

patrum] sc. nobilium.

principis dignationem] i. e. principis dignitatem cf. Ann. III, 75; IV, 16; Hist. III, 80. Liv. II, 16. ibique Drakenb. Hess.

assignant] nec statim tradunt; adduntur pótius ceteris — comitibus.

robustioribus] oppositum vocabulo adolescentulis adultiorem aetatem significat ut Corn. Nep. Alc. II, 3. Postquam robustior est factus. Antea dixerat: Ineunte adolescentia etc.

quibus — locus] i. e. qui plurimum apud principem auctoritate valeant, maxime ejus gratia floreant.

in pace — praesidium] Alterum ad verba haec dignitas, alterum ad verba hae vires respicit.

cuique] Verborum positura significantior quam si scriptum esset: in sua cuique gente.

expetuntur enim legationibus et muneribus ornantur et ipsa plerumque fama bella profligant.

XIV.

De principum et comitum virtute bellica.

Quum ventum in aciem, turpe principi, virtute vinci, turpe comitatui, virtutem principis non adaequare. Jam vero infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem principi suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriae ejus assignare, praecipuum sacramentum est. Principes pro victoria pugnant, comites pro principe. Si civitas, in qua orti sunt, longa pace et otio torpeat, plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas nationes, quae tum bellum aliquod gerunt: quia et ingrata genti quies, et facilius inter ancipitia clarescant, magnumque comitatum non nisi vi belloque

---

clarescant] Cod. Hummel. clarescunt.

---

expetuntur] principes, quibus magnus comitatus est, legationibus, ut auxilium ferant, ut amici sint. Bred. cf. Ann. I, 36; II, 45. Pass.

ipsa — fama] durch den bloſsen Ruf, schon durch den Ruf. cf. Corn. Nep. Iphicr. III, 1. Fuit — imperatoriaque forma, ut ipso aspectu cuivis injiceret admirationem sui.

XIV. adaequare] cf. Tacit. Ann. XII, 60. extr. adaequaverat. II, 17; XV, 19. Hess.

recessisse] Solent usurpare tempus praeteritum optimi quique scriptores Latini antecedentibus vocabulis pudet, taedet similibusque idque significantiore dicendi genere.

praecipuum sacramentum] minus cogitandum de jurejurando militari quam de sanctissimo quodam officio: eine vorzüglich heilige Pflicht.

torpeat] De usu vv. torpere, torpescere, torpor (infra c. 46.) et torpedo inspice Rhunken. ad Vellej. Pat. II, 61; Cort. ad Sall. Cat. 16, Jug. 2. Tac. Hist. I, 71; II, 76. Hess.

quia — quies] sc. est, ut additum ab ipso scriptore.

clarescant] Conjunctivus modus ut dictum ex mente nobilium adolescentium.

tueare. Exigunt enim principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam. Nam epulae et convictus quanquam incompti, largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. Materia munificentiae per bella et raptus. Nec arare terram aut exspectare annum, tam facile persuaseris, quam vocare hostem et vulnera mereri; pigrum quin immo et iners videtur, sudore acquirere, quod possis sanguine parare.

XV.

De quiescentium desidia; de tributis ac donis.

Quotiens bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno cibo-

---

t u e a r e] Cod. Lipsii t u e a n t u r.
e p u l a e e t c o n v i c t u s] ita Spir. Put. Mon. Vienn. Rhen. C o n v i c t u s omittunt Codd. Hummel et Longol.
n o n m u l t u m] Negationem Lipsius temere expulit.

---

t u e a r e] i. e. alas, sustentes cf. Tac. Ann. III, 54; Cic. Offic. I, 4, 4. Cum igitur ne principes quidem in pace magnum comitatum alere possint, comites victu carentes pro tempore alias nationes petere coguntur.
b e l l a t o r e m e q u u m] cf. Virg. Georg. II, 145. ut c a n i s v e n a t o r. Virg. Aen. XII, 751. Hess.
i n c o m p t i — a p p a r a t u s] casu genitivo.
c e d u n t] sc. iis i. e. dantur. cf. Hor. Carm. III, 20, 7; Sat. II, 2, 134; Virg. Aen. III, 333. Hess.
a r a r e — e x s p e c t a r e] Infinitivi poetarum potius quam prosariorum scriptorum more usurpati.
a n n u m] i. e. annuam messem. v. G. L. Walch Emendd. Liv. p. 107.
v o c a r e] i. e. provocare. v. dissert. meam A t h e n a e o II, 2. insertum: Ueber einige grammatische Eigenthümlichkeiten des Taciteischen Styles p. 265 seqq. Ibidem de frequentiore usu infinitivi p. 288 et singularis numeri p. 262.
XV. n o n m u l t u m v e n a t i b u s] Non adversantur verba Caesaris probe intellecta. B. G. VI, 21; IV, 1.
v e n a t i b u s — p e r o t i u m] Hyperbaton Tacito familiare: 40 p e r o b s e q u i u m — p r o e l i i s; Agric. 9. v i r t u t e a u t p e r a r t e m; 41 t e m e r i t a t e a u t p e r i g n a-

que, fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens; delegata domus et penatium et agrorum cura feminis senibusque et infirmissimo cuique ex familia; ipsi hebent, mira diversitate naturae, cum iidem homines sic ament inertiam et oderint quietem. Mos est civitatibus, ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subvenit. Gaudent praecipue finitimarum gentium donis, quae non modo a singulis, sed publice mittuntur: electi equi, magna arma, phalerae torquesque. Jam et pecuniam accipere docuimus.

XVI.

De habitationibus et aedificandi ratione.

Nullas Germanorum populis urbes habitari, sa-

---

hebent mira diversitate] Codd. Hummel. et Longol. habent miram diversitatem, quam lectionem jure pessimam judicat Passovius.

principibus] Vienn. addit aliquid.

sed publice] Nor. Put. Mon. Rhen. sed et. cf. cap. X. sed apud proceres

---

viam; Ann. I, 2. per acies aut proscriptiones; Sueton. Caes. 16. vi ac per arma. Longol.

mira diversitate] Tacito saepius diversitas pro repugnantia dicitur, diversum pro contrario. Ann. VI, 22; XIII, 2. Passov.

armentorum vel frugum] Genitivi partitivi ex imitatione Graeci sermonis; supplere licet aliquid, minime id (quod); tum scribi debebat subveniat. Allegat Passov. Hor. Sat. II, 8, 55. trahentia pulveris atri, quantum seqq.; cujus tamen loci ratio nostri aliquantum differt.

Jam — docuimus] Herodian. VI, 7: Πάντα τε ὑπεσχνεῖτο (ὁ Ἀλέξανδρος) παρέξειν, ὅσων δέονται, καὶ χρημάτων ἀφειδῶς ἔχειν. Τούτῳ γὰρ μάλιστα Γερμανοὶ πείθονται, φιλάργυροί τε ὄντες καὶ τὴν εἰρήνην ἀεὶ πρὸς τοὺς Ῥωμαίους χρυσίου καπηλεύοντες. cf. Tacit. Hist. IV, 76.

XVI. Populis] De usu Dativo v. dissertat. ad c. 14. allegatam Athen. II, 2. p. 274 seqq.

tis notum est; ne pati quidem inter se junctas sedes. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant, non in nostrum morem, connexis et cohaerentibus aedificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium sive inscitia aedificandi. Ne caementorum quidem apud illos aut tegularum usus: materia ad omnia utuntur informi et citra speciem aut delectationem. Quaedam loca diligentius illinunt terra ita pura ac splendente, ut picturam ac lineamenta colorum imitetur. Solent et subterraneos specus aperire eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi et receptaculum frugibus: quia rigorem frigorum ejusmodi locis molliunt, et si quando hostis advenit, aperta populatur, abdita autem et defossa aut ignorantur aut eo ipso fallunt, quod quaerenda sunt.

---

locant] Nor. longant.
imitetur] Ald. Rhen. Gryph. invitet.
onerant] Codd. Arund. et Bamb. operiunt.
populatur] Cod. Longol. populatio.

---

ne — quidem] ad cunctam potius enuntiationem pertinent quam ad solum verbum pati. Tum verbo addi solet haec particula.

junctas sedes] Causam v. Hist. IV, 64. Hess.

inscitia] De discrimine inter inscitiam et inscientiam. v. Gernhard Excurs. ad. Cic. Parad. III, 1.

materia — delectationem] Materiae, qua ad aedificia exstruenda utuntur, nulla est certa forma: nulla ei est species, non est speciosa, sie hat kein Ansehn; non delectat oculos vel animum. Bredov. Ann. IV, 6; Agric. 4. cf. Dial. de orat. 20 extr. Passov.

terra ita pura] fortasse gypso. Bredov.

aperire] i. e. terram effodiendo specus facere.

si quando — quaerenda sunt] Est multiplex Hyperbaton, primum numeri populatur, ignorantur, fallunt, deinde activi, passivi et deponentis et tandem casuum accusativi et nominativi aperta — abdita. Kapp.

XVII.

De vestitu.

Tegumen omnibus sagum, fibula, aut si desit, spina consertum; cetera intecti totos dies juxta focum atque ignem agunt. Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatae ac Parthi, sed stricta et singulos artus exprimente. Gerunt et ferarum pelles, proximi ripae negligenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras et detracta velamina spargunt maculis pellibusque belluarum, quas exterior Oceanus atque ignotum mare gignit. Nec alius feminis quam viris habitus, quod feminae saepius lineis amictibus velantur eosque purpura variant partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudae brachia ac lacertos; sed et proxima pars pectoris patet.

XVII. sagum] vestis non ampla, quae humeros tantum et terga tegeret, rusticis maxime et militibus Romanis usitata. Bredov.

cetera intecti] v. c. 6.

stricta] int. braccas, unde etiam Gallia braccata. Bred.

ferarum pelles] Vestes pellitas intelligit Passovius; pelles enim nulla arte subactas aut exornatas summae feritatis judicium esse in Fennis c. 46. Subtilius, uti videtur et locus ipse docet.

ripae] Danubii et Rheni.

maculis pellibusque] i. e. maculatis pellibus.

exterior Oceanus] i. e. exterior pars Oceani; alio sensu si sumseris, vere otiosum vel molestum erit adjectivum.

habitus] interdum de cultu exteriore corporis ac praesertim vestimento et ornatu vestium. Cic. Verr. VI, 3; Quinctil. III, 7. Forcell.

saepius] quam viri, qui et ipsi lineis vestimentis induebantur.

lineis amictibus] cf. Plin. H. N. XXX, 2: Velà texunt jam quidem et Transrhenani hostes nec pulchriorem aliam vestem eorum feminae novere.

purpura] facta e sucro plantis et floribus expresso.

in — extendunt] i. e. amictus feminarum non pertinet usque ad manus. Kopp.

nudae — lacertos] Animadvertas poetici sermonis

XVIII.

De matrimoniis.

Quanquam severa illic matrimonia; nec ullam morum partem magis laudaveris. Nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. Intersunt parentes et propinqui ac munera probant: munera, non ad delicias muliebres quaesita nec quibus nova nupta comatur, sed boves et frenatum equum et scutum cum framea gladioque. In haec munera uxor accipitur; atque invicem ipsa armorum aliquid viro affert. Hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos conjugales deos arbitrantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in proelio passuram ausuramque. Hoc juncti boves,

---

extraque] Vienn. extra, quod minime displicet. Pass.
denuntiant] Cod. Long. renuntiant.

---

affectationem! Brachia a manu ad cubitum, lacerti a cubito ad humeros. Ovid. Metam. I, 500. Longol.

XVIII. Nam — sunt] Contra de Romanorum moribus. v. Hor. Sat. I, 2. Juv. VI.

ob nobilitatem] i. e. ad opes potentiamque ipsorum augendas Hess. Exemplum habes Caes. B. G. I, 53.

Dotem — offert] Ergo non μεῖλια sed ἕδνα apud Germanos in usu erant.

probant] i. e. examinant, explorant v. Ernest. Cl. Cic. s. v., Heusing. ad Cic. de Offic. I, 40. Hess.

munera] De substautivo non sine vi repetito v. Interpp. I, 1, 43. Passov. Raro tamen ita repetitum vocabulum antecedens.

In haec munera] Ἐπὶ τούτοις τοῖς δώροις! Liv. XXIII, 31. In has ferme leges — ictum foedus; XLII, 62. Foedus in easdem leges renovarunt. Hess.

Ne se — putet] cf. c. 7. et 8.

hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant; sic vivendum, sic pereundem: accipere se, quae liberis inviolata ac digna reddat, quae nurus accipiant rursus, quae ad nepotes referantur.

XIX.

De pudicitia et poena adulterii.

Ergo septae pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptae. Litterarum secreta viri pariter ac feminae ignorant. Paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum poena praesens et maritis permissa. Accisis crinibus, nudatam, coram propinquis expellit domo maritus ac per omnem vicum verbere agit.

---

sic — pereundum] Cod. Long. sic virtutes, sic parentes.
accipiant — referantur] Textum Passov. recipere nihil dubitavi v. V. D. ad h. l.

septae] Nor. septâ, inepto sensu.
praesens et maritis] Cod. Bamb. parentibus et maritis. At cf. Caes. B. G. VI, 19, 3.
verbere] Cod. Arund. verberans.

---

data] recte intellectum non multum recedit a significatu participiorum juncti et paratus.
accipere se] sc. admonetur.
digna] i. e. honesta, dignitate sua non privatâ. Bredov. cf. Liv. XXVI, 50.

XIX. nullis — correptae] Quis non viderit tacitum Romanorum morum castigatorem! cf. Senec. epist. 7: Nihil vero est tam damnosum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo desidere? Tunc enim per voluptatem facilius vitia surrepunt.
Litterarum secreta] Verba ad delinimenta vitiorum (cf. Agric. 21.) pertinere, cum locus universus tum, ut recte monet Barkerus, verba viri pariter ac feminae docent. Quam rem propriam significaverit scriptor, si quam significavit, vix definiri potest. Equidem sic interpretor locum: Litterarum usum, quam utrum habuerint necne in media relinquit scriptor, ad excolendam immo emolliendam vitam ignorant.
omnem] v. ad c. 1. Germania omnis.

Publicatae enim pudicitiae nulla venia; non forma, non aetate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet; nec corrumpere et corrumpi saeculum vocatur. Melius quidem adhuc eae civitates, in quibus tantum virgines nubunt, et cum spe votoque uxoris semel transigitur. Sic unum accipiunt maritum, quo modo unum corpus unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium ament. Numerum liberorum finire aut quenquam ex agnatis necare, flagitium habetur; plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonae leges.

---

invenerit] Cod. Turic. invenit.
semel] Vienn. simul.
ne longior] Vienn. nec longior.

---

vitia ridet] i. e. ridendo videtur potius perstringere, quam perstringit.

saeculum] i. e. indoles et mores saeculi, Mode, Zeitgeist. Kapp.

adhuc] i. e. usque ad hoc (quidem) tempus. cf. c. 22. Bredov.

eae civitates] ut Heruli, apud quos adeo secundo matrimonio non locus, uti uxor, marito mortuo, laqueo sese statim juxta sepulcrum indueret, nisi invisa vivere mallet et infamis. Procop. Bell. Goth. II, 14. Lipsius.

cum spe — transigitur] cf. Agric. 34. semel ut ἅπαξ, ein für allemal. Quinct. J. O. IX. c. ult., XI, 1. denique ut semel omnia complectar. Bredov. uxoris i. e. justi matrimonii.

ne tanquam maritum] i. e. ne virum, cui quaeque nupserit, non magis tanquam maritum, quam potius quasi in eo matrimonium ipsum ament.

finire] scil. contra naturam, ex composito.

ex agnatis] Agnati h. l. dicuntur, qui post familiam constitutam, ubi heres jam est, deinde nascuntur; Graecis ἐπίγονοι, filiae minores natu. Hess. Eos necare, in crudelissimis Romae moribus fuisse videtur, quos Tacitus h. l. notare vult. cf. Ann. III, 25. Bredov.

XX.

De educatione et heredum institutione.

In omni domo nudi ac sordidi in hos artus, in haec corpora, quae miramur, excrescunt. Sua quemque mater uberibus alit; nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas: inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec aetas separet ingenuos, virtus agnoscat. Sera juvenum venus eoque inexhausta pubertas. Nec virgines festinantur: eadem juventa, similis proceritas; pares validaeque miscentur; ac robora parentum liberi referunt. Sororum filiis idem apud avunculum, qui ad patrem honor. Quidam

---

excrescunt] Cod. Arund. nutriuntur et crescunt.

validaeque] Lips. et Pichena validique, ex ingenio, ut videtur. Pass.

XX. nudi] v. ad c. 6. nudi aut sagulo leves.

sordidi] Non est quod de sordidis vestibus intelligatur, quae insuper ingrata esset διλογία apud Romanum scriptorem.

Sua — delegantur.] Secus atque apud Romanos, qui infantes nutricibus alendos committebant. cf. Dial. de causis corr. eloq. 39. Hess. ac n. recte se habet, cum ancillis et nutricibus arctissime conjungantur. delegantur. Delegamus quum, quod ipsi facere debebamus, id per alterum fieri curamus, et qui id a nobis petunt, ad alterum rejicimus. Ernesti.

separet] de modo Conj. v. ad c. 1. erumpit.

agnoscat] i. e. faciat ut agnoscatur. Bredov.

Sera — venus] cf. Caes. B. G. VI, 21.

festinantur] i. e. mature nuptum elocantur. Verba properare, festinare, accelerare transitiva et intransitiva gaudent significatione v. Erfurdt in ed. min. Soph. Oed. Tyr. 2. Tacit. Hist. II, 82; III, 37; IV, 67. Apud Romanos pueri XIV annorum matrimonium contrahebant cum puellis XII annos natis. vid. Macrob. Saturn. I, 9. Hess.

referunt] c. Virgil. Aen. IV, 329.

ad] Ad significare optimis apud constat; Cic. ad Attic. X, 16. ad me fuit; quo loco nihil similius Corneliano. Longol.

sanctiorem arctioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur et in accipiendis obsidibus magis exigunt, tanquam ii et animum firmius et domum latius teneant. Heredes tamen successoresque sui cuique liberi, et nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrui, avunculi. Quanto plus propinquorum, quo major affinium numerus, tanto gratiosior senectus; nec ulla orbitatis pretia.

XXI.

De inimicitiis, homicidiis expiandis, et de hospitalitate.

Suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui quam amicitias, necesse est. Nec implacabiles durant; luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque satisfactionem universa domus: utiliter in publicum, quia periculosiores sunt inimicitiae juxta libertatem. Convictibus

---

magis] Cod. Arund. maxime.

tanquam ii et animum] Codd. Hummel. Longol. Turic. tanquam et in animum; Vienn. tanquam et animum. Recepta lectio Rhenani est.

gratiosior] Codd. Turic. Hummel. gratior.

utiliter] utilitate Codd. Longol. Nor.

---

latius] ut patri et avunculo cari. Bredov.

testamentum] quale quidem apud Romanus. cf. tamen c. 32.

gratiosior] i. e. tanto magis senes amantur et coluntur. Bredov.

nec — pretia] Molesta fere hoc loco, ut aliis quibusdam, male idonea Romanorum morum notatio.

XXI. necesse est] i. e. non moris tantum sed officii est.

Nec] i. e. non tamen. cf. Corn. Nep. Themist. X, 5. ibique annot. meam.

in publicum] i. e. in publicam salutem.

juxta libertatem] i. e. simul cum libertate, inter li-

et hospitiis non alia gens effusius indulget. Quemcunque mortalium arcere tecto, nefas habetur; pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. Cum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes proximam domum non invitati adeunt. Nec interest: pari humanitate accipiuntur; notum ignotumque, quantum ad jus hospitis, nemo discernit. Abeunti, si quid poposcerit, concedere moris; et poscendi invicem eadem facilitas. Gaudent muneribus; sed nec data imputant nec acceptis obligantur. Victus inter hospites comis.

---

defecere] Lips. e Cod. Farnes., ut videtur, defecerit.

hospitis] contra Codd. auctoritatem Lipsius hospitii, eodem sensu, modo voc. jus recte interpreteris.

---

beros homines. Tacitus amat hanc praepositionem. cf. c. 30; Ann. VI, 42. Bredov.

Quemcunque] i. e. ullum hominum, cujas et quivis ille sit.

pro fortuna] sc. sua, pro rei suae domesticae modulo.

defecere] sc. epulae, quum exhausta sunt, quae apparata erant. cf. c. 24. Bredov.

comes] i. e. qui modo apud priorem hospitem benigne exceptus fuerat.

non invitati] i. e. etiamsi non invitati essent.

nec interest] sc. eos vel non invitatos adire.

jus hospitiis] ea dixit, quae sine legibus, ex tacito gentis consensu hospiti debentur (die Gerechtsame des Gastes) rarior quidem, sed Ciceronianus vocabuli usus: Tusc. quaest. I, 26. jus hominum situm est in generis humani societate. Passov. Recte quidem, sed perperam notatus est Lipsius.

nec data imputant] i. e. non postulant, ut sibi ab accipientibus gratia reddatur.

obligantur] se obligatos esse putant. Forma passiva ad modum medii verbi Graeci.

Victus — comis] i. e. tamen victus inter mutuos hospites comis.

XXII.

De vita quotidiana; de conviviis.

Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur, saepius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat. Lauti cibum capiunt; separatae singulis sedes et sua cuique mensa. Tum ad negotia nec minus saepe ad convivia procedunt armati. Diem noctemque continuare potando, nulli probrum. Crebrae, ut inter vinolentos, rixae raro conviciis, saepius caede et vulneribus transiguntur. Sed et de reconciliandis invicem inimicis et jungendis affinitatibus et asciscendis principibus, de pace denique ac bello plerumque in conviviis consultant, tanquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus aut ad magnas incalescat. Gens non astuta

---

probrum] Nor. probum.

vinolentos] Rhenan. ex ingenio violentos. cf. Ann. II, 16.

inimicis] Ita Codd. Hummel. et Longol.; inimicitiis Pat. Mon. Vienn.; quod magnopere placet.

XXII. Statim e somno] Graecis usitatior praepositio ἐκ ut Xenoph. Cyrop. I, 4, 28. γελᾶν ἐκ τῶν πρόσθεν δακρύων, Latinis ab ut Liv. XXII, 40: Ab hoc sermone profectum Paulum tradunt.

saepius calida] sc. voluptatis causa, ut apud quos plurimum (temporis) hiems occupat.

separatae — mensa] contra Romanorum luxuriam ex more fere Homerici aevi.

continuere] i. e. quasi annectere, mutato quodammodo vulgari vocis significatione; continuantur enim plerumque eaedem res.

ut] fieri solet, ex more etc.

transiguntur] non conviciis absolvuntur, sed plerumque ad caedes procedunt.

invicem] otiosum fere pro mutuis.

asciscendis] i. e. assumendis v. Manut. ad Cicer. pro Archia 2. Liv. I, 20, 6.

simplices] i. e. non contortas, non fucatas. Subtilem oppositionem vocis magnas non vidit Diltheius.

nec callida aperit adhuc secreta pectoris licentia joci. Ergo detecta et nuda omnium mens postera die retractatur. Et salva utriusque temporis ratio est: deliberant, dum fingere nesciunt; constituunt, dum errare non possunt.

XXIII.

De potu ciboque.

Potui humor ex hordeo aut frumento, in quandam similitudinem vini corruptus; proximi ripae et vinum mercantur. Cibi simplices: agrestia poma, recens fera aut lac concretum. Sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem; adversus sitim non eadem temperantia. Si indulseris ebrietati suggerendo, quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis quam armis vincentur.

---

joci] constantem omnium Codd. lectionem Rhenanus temere corrupit in loci.

Ergo — retractatur] Vienn. distinguit. joci: ergo detecta et nuda omnium mens. Postera die retractatur, et salva sq. Secutus est Passovius.

corruptus] Cod. Arund. corrupti.

vitiis] Ita Codd. Hummel. Longol. rell.; Bamb. vino.

---

detecta] i. e. non velata, aperta, integra.

fingere nesciunt] non dictum ex more Taciti ejusque aetatis.

frumento] Frumentum fruges cujuslibet generis, imprimis (vero) triticeum. Veget. II, 57: Frumentacea farina, Weizenmehl. Bredov.

corruptus] cum Tacitea indignatione dictum. cf. ad c. 4. infectos.

ripae] Rheni, Caes. B. G. IV, 3, 3. cf. c. XXVII, 3.

recens] sc. capta, icta.

lac concretum] de caseo non cogitandum, potius quod nostrates dicunt dicke Milch.

apparatu] ubique luxuriosiorem vivendi modum significat.

XXIV.

De spectaculis et ludis.

Genus spectaculorum unum atque in omni coetu idem. Nudi juvenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se atque infestas frameas saltu jaciunt. Exercitatio artem parat, ars decorem, non in quaestum tamen aut mercedem: quamvis audacis lasciviae pretium est voluptas spectantium. Aleam, quod mirere, sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut, cum omnia defecerunt, extremo ac novissimo jactu de libertate ac de corpore contendant. Victus voluntariam servitutem adit; quamvis juvenior, quamvis robustior, alligari se ac venire patitur. Ea est in re parva pervicacia; ipsi fidem vocant. Servos conditionis hujus per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoriae exsolvant.

---

parat] invitis omn. Codd. Longol. Nor. paravit.
defecerunt] Unus Cod. Turic. defecerint.
juvenior] Codd. Hummel. et Long.; junior Cod. Turic.

---

defecerunt] Indicativum modum flagitat sensus ipse. Defecerint omni modo soloece dictum esset.

de libertate ac de corpore] Hendiadyn esse volunt interpretes, rem potius quam genus dicendi spectantes.

voluntariam] Optimus quisque melioris Latinitatis scriptor non cum objecto, quod dicunt viri Grammatici, sed cum subjecto junxisset, ut ipse, ultro, sua sponte.

adit] ut nostrates: antreten.

juvenior] cf. Gierig ad Plin. epist. IV, 8, 5.

pervicacia] Pervicaces sunt Scholiast. Horat. Epod. XVII, 14, qui in aliquo certamine ad vincendum perseverant.

fidem] Apud Tacit. Ann. XIII, 54, 5. Frisorum legati in theatro Romano exclamant, nullas mortalium armis aut fide ante Germanos esse. Kapp. cf. Suet. Claud. 25.

se] i. e. ut victores se quoque etc.

pudore victoriae] Eadem contra solennem priorum scriptorum usum significatione legitur apud Tacit. Hist. III, 61.

XXV.

De servis et libertis.

Ceteris servis, non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis, utuntur; suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus aut pecoris aut vestis ut colono injungit; et servus hactenus paret; cetera domus officia uxor ac liberi exsequuntur. Verberare servum ac vinculis et opere coercere, rarum; occidere solent, non disciplina et severitate, sed impetu et ira, ut inimicum, nisi quod impune. Liberti non multum supra servos sunt: raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate, exceptis duntaxat iis gentibus, quae

---

et servus] Nor. ut servus.
impune] Cod. Turic. edd. Put. Vienn. Mon. impune est.
aliquod momentum] Cod. Arund. aliquid momenti.

---

in nostrum morem] Apud Romanos enim cuique servorum sua opera erant descripta, i. e. dimensa aut distributa. Kapp. Vid. Dithm. ad h. l. Familia erat vel urbana vel rustica, cujus sexcenta fere singula nomina extant.

per familiam] sc. servorum.

sedem] domicilium.

regit] ipse, servus.

ut colono] quem Columella I, 7, 1. servo opponit cumque eo comiter agat, domino suadet. Accedunt igitur fere ad conditionem propriorum quidem, sed glebae adscriptorum hominum.

hactenus] ut Nostrates: in so weit.

domus] scilicet domini. Nodum vero in scirpo quaerere videtur Passov.

opere] labore graviore aut rustico aut militari in muniendis et exstruendis vallis, fossis, aggeribus. Bredov.

non disciplina et severitate] i. e. non disiplinae severitate, sed irae impetu. Dilthey.

Liberti] scilicet ad similitudinem moris Romani dicti jure sunt Barthio H. G. Tom. II. p. 387. lidi, media quadam conditione inter servos et ingenuos positi.

quae regnantur] Ex poetarum more dictum, ut

regnantur; ibi enim et super ingenuos et super nobiles ascendunt; apud ceteros impares libertini libertatis argumentum sunt.

XXVI.

De agricultura.

Fenus agitare et in usuras extendere, ignotum; ideoque magis servatur, quam si vetitum esset. Agri pro numero cultorum ab universis per vices occupantur, quos mox inter se secundum dignationem par-

---

per vices] Ita edd. Ald. Put.; in vices Nor.; vicis Cod. Bamb.; per vicos conj. Pichena.

---

quem supra modum affectat Tacitus, cf. Ann. XIII, 54; Hist. I, 16. cf. Virgil. Aen. VI, 794. regnata per arva. Verbi Graeci βασιλεύεσθαι non eadem ratio. Ejusmodi populi Gethones c. XLIII. (regnantur) et Suiones c. XLIV.

ascendunt] i. e. ascendere possunt. Eodem modo dictum Corn. Nep. Praef. 8: quo nemo accedit.

impares] cum non pares habeantur ingenuis et nobilibus.

libertatis argumentum sunt] i. e. quanti aestimetur ab illis gentibus ingenuitas et libertas, ex eo apparet, quod manumissos ex servitute ad officia publica in civitate haud admiserint. Dithm.

XXVI. Fenus — extendere] i. e. fenus facere (Tacit. Ann. IV, 6.) atque etiam in capiendis usuris ita exercere, ut ipsae etiam sorti addantur, ignotum. Mihi quidem hic locus inter facillimos Taciteos numerandus esse videtur.

servatur] abstinentia a fenore agitando. Diltheј.

ideoque — vetitum esset] Optime quidem monitum! scilicet ignoti nulla cupido! cf. c. XIX.

Agri — per vices — occupantur] Loquitur Tacitus de singulari Germanorum instituto, ex quo nemo fines proprios possidebat, agrumque, quem coluerat, quotannis mutabat. Passov. cf. Caes. B. G. VI, 22.

quos — partiuntur] Animadvertas opposita inter se!

secundum dignationem] i. e. prout quisque aut princeps aut nobilis aut plebeji ordinis. cf. Caes. B. G. VI, 26.

tiuntur. Facilitatem partiendi camporum spatia praestant. Arva per annos mutant; et superest ager. Nec enim cum ubertate et amplitudine soli laborare contendunt, ut pomaria conserant et prata separent et hortos rigent: sola terrae seges imperatur. Unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species: hiems et ver et aestas intellectum ac vocabula habent; autumni perinde nomen ac bona ignorantur.

XXVII.

De re funebri atque luctu.

Funerum nulla ambitio. Id solum observatur,

---

praestant] Cod. Hummel. praebent.
laborare] Ita Cod. Turic. edd. Put. Vienn.; labore Codd. Hummel. et Long.; edd. Nor. Rhen.

---

camporum — ager] Terra opponitur mari et coelo, Erde; Solum, quod cuique rei subjacet, quod aliquid sustinet, ex quo alia enascuntur, Grund und Boden; Campus, magnus, etiam liberioris aquae, Ebene, Feld; Ager, territorium urbi circumjectum (Gebiet), quo cives uti solent ad fructum faciendum, ager pascuus, Trift, ager sylvestris, ager novalis, Brachacker, agri arbos ac vitis, maxime vero ager, qui colitur frumentis gignendis Acker; Arvum, ager arvus i. e. aratus, quod aratum non satum est, Saatfeld. Bredov.

laborare — contendunt] i. e. omni adhibita contentione, labore certare cum ubertate soli, laborem fertilitati adaequare. Passov.

pomaria — rigent] cf. Virg. Georg. II, 267, 275; IV, 115 sqq.

imperatur] ut frumentum, commeatus, obsides alicui imperantur: scil. ut dentur ex foedere. Male vulgo interpretantur h. l. ut sit pro committitur; tum debebat esse semen, non seges.

totidem] sc. quas Romani.

intellectum — habent] Quam distortum dicendi genus!

auctumni — nomen] At Herbst (Herbist, Härfest, Harvest) antiquiora nomina esse videntur.

XXVII. Funerum — ambitio] i. e. Exequiae defunctorum sine magnificentia et impensis et non ad ostentatio-

ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur. Struem rogi nec vestibus nec odoribus cumulant: sua cuique arma, quorundam igni et equus adjicitur. Sepulcrum caespes erigit; monumentorum arduum et operosum honorem ut gravem defunctis aspernantur. Lamenta ac lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt. Feminis lugere honestum est, viris meminisse.

Haec in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. Nunc singularum gentium instituta ritusque, quatenus differant, quae nationes e Germania in Gallias commigraverint, expediam.

---

operosum] Cod. Turic. edd. Put. Spir. Mon. peroperosum.
ponunt] Cod. Arund. deponunt.

---

nem fiunt, sicut apud Romanos. Kapp. Funera proprie de toto apparatu sepulturae. Ernest. ad Sueton. Domit. 15.
certis] i. e. rite statutis.
vestibus] stragulis et ipsis corporis vestimentis. cf. XL.
odoribus] unguentis, thure, aromatis.
igni] i. e. rogo, infrequenti usu.
Sepulcrum — erigit] cf. Heindorf. ad Horat. Sat. I, 8, 36.
monumentorum] ut cenotaphiorum, Mausoleorum.
arduum] i. e. excelsum. cf. Virg. Georg. I, 240.
operosum] i. e. multae operae, difficile.
ut gravem] i. e. quod molestus sit.
Feminis — viris] Non de uxoribus et maritis sed de sexu sermo est ut XVII, 7. Kapp.
origine] c. I — III.
moribus] IV — XXVII.
Nunc — expediam] In singulis Germaniae nationibus enumerandis hunc ordinem observat Tacitus: nationes haud proprie Germanicae c. XXVIII, Rhenum, occidentem versus, accolentes XXIX — XXXIV, Rhenum, septentrionem versus, accolentes XXXV — XXXVII, Foedus Suevicum XXXVIII — XLI, accolae Danubii XLII. XLIII. accolae Oceani septentrionalis XLIV. XLV, populi ultra Oceanum degentes, partim fabulosi XLVI. Passov.

XXVIII.

De Gallorum in Germaniam, Germanorum in alias terras transitu.

Validiores olim Gallorum res fuisse, summus auctorum divus Julius tradit; eoque credibile est, etiam Gallos in Germaniam transgressos. Quantulum enim amnis obstabat, quo minus, ut quaeque gens evaluerat, occuparet permutaretque sedes promiscuas adhuc et nulla regnorum potentia diversas? Igitur inter Hercyniam silvam Rhenumque et Moenum amnes Helvetii, ulteriora Boji, Gallica utraque gens, tenuere. Manet adhuc Bojemi nomen significatque loci veterem memoriam, quamvis mu-

---

diversas] Ita Codd. Farnes. et Turic.; ed. Nor. divisas ex interpret.
Moenum] Ita Codd. Farnes. Hummel. Longol.; Moenim Cod. Arundel. cf. P. Mel. 3, 3, 33.
utraque] Put. veraque.
Bojemi] Cod. Turic.; Bojehemi Cod. Hummel; Boihemi Cod. Longol.; Cod. Bamb. manet adhuc Bojis e munere nomen, unde Lipsius: manet adhuc Boiasmi e re nomen. (Strabo VII. p. 445.)
significatque] Cod. Hummel. signatque.

XXVIII. summus] cf. Sueton. Caes. 56.
divus Julius] Caesar B. G. VI, 24.
Gallos — transgressos] v. c. II. cl. XLIII.
nulla — diversas] Aliae sedes versae ad hunc regem, aliae ad illum; seperatae, divsiae. cf. Tacit. Annal. XV, 56.
Hercyniam silvam] Hoc nomine Tacitus cum Plinio H. N. IV, 12. recte intelligit montes silvasque, quae a saltu Thuringensi in orientem versus usque in Hungariam extenduntur. cf. B. G. VI, 24. Hess.
Igitur — Helvetii] i. e. regionem inter — sitam. De Helvetiis v. Caes. B. G. I, 1; Tacit. Hist. I, 67.
Bojemi nomen] Nomen Bojemi, compositum e vocabulis Boji et heim (Bojenheim) significat Bojorum patriam, in Bohemia quaerendam. Kapp. Inde a Marcomannis pulsi sunt v. c. XLII.
quamvis] nonnullis locis Tacitus pro quanquam

tatis cultoribus. Sed utrum Aravisci in Pannoniam ab Osis (Germanorum natione), an Osi ab Araviscis in Germaniam commigraverint, cum eodem adhuc sermone, institutis, moribus utantur, incertum est: quia, pari olim inopia ac libertate, eadem utriusque ripae bona malaque erant. Treveri et Nervii circa affectationem Germanicae originis ultro ambitiosi sunt, tanquam per hanc gloriam sanguinis a similitudine et inertia Gallorum separentur. Ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, Vangiones, Triboci, Nemetes. Ne Ubii quidem, quan-

---

Germanorum natione] obelo notavit Passov. cf. c. 43.

Treveri] Put. Rhen. Treviri.

affectationem] Codd. Hummel. et Longol. affectionem.

Ne Ubii] Ex egregia Gruteri correctione lectionis e Codd. prolatae Nubii.

---

usurpavit, ut Ann. II, 1: petitum Roma acceptumque regem, quamvis gentis Arsacidarum, ut externum aspernabantur; XV, 18. Cujus pretio nihil additum est, quamvis ducentas ferme naves — fortuitus ignis absumsisset. Contra pro quamvis nonnunquam habet quamquam etiam antecedentibus adjectivis et adverbiis ut Ann. I, 10. quanquam honora oratione; I, 29. quanquam rudis dicendi; I, 4. quanquam premantur; etiam sub finem h. capitis quanquam — meruerint.

mutatis cultoribus] v. c. XLII. XLIII.

institutis] Osi enim c. XLIII. tributa patiebantur, quod indicabat, eos non esse Germanos. Kapp.

utriusque ripae] sc. Danubii, cujus dextram ripam Aravisci, sinistram Osi tenebant. Saepius indefinitam hancce dictionem usurpat de Rheno.

circa] ut Tacit. Annal. XI, 2: circa bonas artes socordia.

ambitiosi] Cum origine Galli essent, affectatione Germanos se esse dixerunt. At cf. Caes. B. G. II, 4.

inertia Gallorum] cf. Agric. c. XI. Constanti enim odio Gallos persequitur Tacitus.

haud dubie] Haud multum abest, quin: haud dubii scriptum fuisse putaverim.

Vangiones] Borbetomagus, Worms; Triboci, Ar-

quam Romana colonia esse meruerint ac libentius Agrippinenses conditoris sui nomine vocentur, origine erubescunt, transgressi olim et, experimento fidei, super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur.

XXIX.

De Batavis, Mattiacis; de Decumatibus agris.

Omnium harum gentium virtute praecipui Batavi non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt: Chattorum quondam populus et seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperii fierent. Manet honos et antiquae societatis insigne; nam nec tributis contemnuntur, nec

---

populus — transgressus] Mon. populo — transgresso.

antiquae societatis insigne] Mon. antiqua societas insigne.

contemnuntur] Cod. Turic. conteruntur.

---

gentoratus, Strasburg; Nemetes, Νέμητες, Noviomagus sive Augusta Nemetum, Speyer.

Agrippinensis] Nomen ab Agrippina, Germanici filia, Claudii imperatoris uxore acceperant, a. U. C. 804, p. Ch. n. 51. Passov.

nomine] i. e. secundum nomen.

conditoris] Conditor apud veteres erat epicoenon et vox conditrix serioris demum aetatis est. Kapp.

experimento fidei] cf. Tacit. Hist. IV, 28.

XXIX. virtute] bellica v. Tacit. Hist. I, 59; IV, 32; Ann. II, 11.

ex ripa] i. e. ab ripa, Tacit. Hist. IV, 12. Hess.

pars — fierent] Imo amici et fratres Romani imperii in Inscriptionibus dicuntur apud Gruterum p. 72. et Junium p. 34. Kapp.

nec — contemnuntur] Talia enim Germani non patiebantur (v. c. XLIII.), quoniam ea servientium poenae (Agricol. 32). Tacit. Ann. IV, 17. tributorum expertes nominantur.

nec — atterit] Publicani (equites Romani, qui vecti-

publicanus atterit: exempti oneribus et collationibus et tantum in usum proeliorum sepositi, velut tela atque arma, bellis reservantur. Est in eodem obsequio et Mattiacorum gens. Protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum ultraque veteres terminos Imperii reverentiam. Ita sede finibusque in sua ripa, mente animoque nobiscum agunt; cetera similes Batavis, nisi quod ipso adhuc terrae suae solo et coelo acrius animantur. — Non numeramus inter Germaniae populos, quanquam trans Rhenum Danubiumque consederint, eos, qui Decumates agros exercent. Levissimus quisque Gallorum et inopia audax dubiae possessionis solum occupavere. Mox limite acto promotisque praesidiis sinus imperii et pars provinciae habentur.

---

numeramus] Ita Cod. Turic.; numerarerem Cod. Longol.; male v. Passov. a. h. l.

---

galia a populo Romano redimebant) injustitia atque avaritia, struendo et torquendo eos non atterunt: exempti sunt oneribus, quae alii suscipere et perferre imperantur, et muneribus conferendis. Bredov.

sepositi] ut res reposita. Virgil. Georg. III, 527.

Mattiacorum gens] Mattiaci ex adverso Moguntiaci, in quorum regione fontes calidi, Mattiacae aquae, Wisbaden. Bredov.

veteres] priores.

imperii reverentiam] cf. Tacit. Hist. I, 55.

acrius animantur] i. e. animosiores et acriores sunt seu propter soli naturam et aëris inclementiam feriores et duriores sunt. Hess. adhuc ex verborum positura pro adjectivo est.

consederint] Conjunctivus ex Graecae linguae usu potius quam Latinae dictum.

Decumates — exercent] i. e. colunt. Decumates agri, qui decumas solvunt (Lipsius), quas ii, qui eos occupaverunt, solvisse videntur, ut tutela Romanorum fruerentur. Bredov.

sinus] cf. c. XXXV.

provinciae] Germaniae cisrhenanae.

XXX.

De Chattorum regione, habitu corporum ac disciplina militari.

Ultra hos Chatti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis ac palustribus locis, ut ceterae civitates, in quas Germania patescit, durant; siquidem colles paulatim rarescunt, et Chattos suos saltus Hercynius prosequitur simul atque deponit. Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus et major animi vigor. Multum, ut inter Germanos, rationis ac sollertiae: praeponere electos, audire praepositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem,

---

patescit, durant] Ita interpungunt Codd. Turic. et Longol.; Rhenanus: patescit. durant siquidem.

occasiones] Nor. necessitates.

ratione disciplinae] Ita Cod. Turic. edd. Nor. Put. Vienn.; Codd. Arundel. Bamb. Hummel. Romanae disciplinae, sensu minus idoneo.

XXX. Chatti] in ea regione habitabant, quae hodie Hassia dicitur Bredov.

patescit] porrigitur, non magis quam patere poetico more dictum, ut vult Hessius.

durant] agunt, vivunt, Tacit. Ann. III, 16; Dialog. de causs. corr. eloq. 17; Plin. H. N. IX, 21; Plaut. Trinumm. II, 2, 13. Hess.

rarescunt] decrescunt, diminuuntur. Passov. ita interpretatur: „Chatti Hercyniae quasi filii sunt, montes vera Chattorum patria.“ Hercynius saltus cum Chattorum patria incipit, porrigitur et finitur (eos deponit).

stricti] i. e. validi, robusti (nervichte).

ut — Germanos] i. e. pro ingenio Germanorum. cf. c. XLV. ut barbaris, XXII. ut inter vinolentos. Particula ut hac structura ambigue dicitur pro loci natura in utramque partem intelligenda. cf. Corn. Nep. Epam. V, 2. ibique annotationem meam.

ordines] acie instructa.

disponere diem] Id quoque de re bellica dictum esse apparet.

vallare mortem] i. e. castra nocturno tempore vallare.

fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare; quodque rarissimum nec nisi ratione disciplinae concessum, plus reponere in duce quam in exercitu. Omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quoque et copiis onerant. Alios ad proelium ire videas, Chattos ad bellum: rari excursus et fortuita pugna. Equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere; velocitas juxta formidinem, cunctatio propior constantiae est.

XXXI.

De institutis Chattorum ad bellum spectantibus.

Et aliis Germanorum populis usurpatum rara et privata cujusque audentia apud Chattos in consensum vertit: ut primum adoleverint, crinem barbamque submittere, nec nisi hoste caeso, exuere votivum

---

rara] Cod. Tur. raro.

---

ratione] Beachtung, modo.

super] praeter, ut Liv. XXII, 54. vulnus super vulnus.

ferramentis] securi, ligone, rutro. Bred.

copiis] frumento et commeatu.

rari] etiam ad fortuita pugna pertinet.

juxta] cf. c. XXI. juxta libertatem.

XXXI. aliis — Germanis] Dativus, quem recte Graecum dicunt: apud alios — populos.

audentia] rarior vox. cf. Tacit. Ann. XV, 63; Plin. Epist. VIII, 4; IX, 26.

in consensum vertit] communis omnium mos evasit.

adoleverint] Conjunctivus, quonium de more quodam sermo est.

nec nisi — habitum] More etiam apud Batavos, Chattorum propaginem, usitato. De Civile enim, Batavorum duce, Tacit. Hist. IV, 60: Civilis, ait, barbaro voto post coepta adversus Romanos arma propensum rutilumque crinem patrata demum caede legionum posuit. cf. Suet. Caes. 61. Dithmar. Et alias gentes aliaque tempora eadem exempla edidisse, quis nesciat.

obligatumque virtuti oris habitum. Super sanguinem et spolia revelant frontem, seque tum demum pretia nascendi retulisse dignosque patria ac parentibus ferunt. Ignavis et imbellibus manet squalor. Fortissimus quisque ferreum insuper annulum, ignominiosum id genti, velut vinculum gestat, donec se caede hostis absolvat. Plurimis Chattorum hic placet habitus jamque canent insignes et hostibus simul suisque monstrati. Omnium penes hos initia pugnarum: haec prima semper acies, visu nova. Nam ne in pace quidem vultu mitiore mansuescunt. Nulli domus aut ager aut aliqua cura; prout ad quemque venere, aluntur; prodigi alieni, contemptores sui, donec exsanguis senectus tam durae virtuti impares faciat.

---

canent — monstrati] Mon. Vienn. cavent — monstrari.

vultu] Cod. Arund. cultu.

---

super — spolia] i. e. spoliis caeso hosti detractis.

revelant frontem] i. e. et barbam rodunt et crinem tondent. Kapp.

retulisse] vergolten haben (ἀποδοῦναι). cf. Suet. de illustr. Gramm. 15. pretium domino suo retulisse.

squalor] cf. Gell. N. Att. II, 6, 24.

insuper] Ex more ita positum vocabulum. cf. XXXIV.

ignominiosum id] quamvis eleganter dictum judices, tamen ei genti praetulerim.

absolvat] Conjunctivus ut supra adoleverint.

insignes] hoc habitu insignes durant, donec cani, i. e. senes fiunt. Bredov.

hostibus monstrati] i. e. ab hostibusque.

visu nova] in pace non quotidie neque congregati conspiciuntur; tota igitur acies barbatorum visu nova est, maxime hostibus. Bredov.

vultu mitiore] Lectio sana et ex anticipatione dictionis interpretanda; est enim: nam ne in pace — mitescunt ita ut vultum mitiorem prae se ferant. Qui alia quaerat exempla, evolvat poetas.

faciat] v. ad I. erumpit.

XXXII.

De Usupiis ac Tencteris.

Proximi Chattis certum jam alveo Rhenum, quique terminus esse sufficiat, Usipii ac Tencteri colunt. Tencteri super solitum bellorum decus equestris disciplinae arte praecellunt; nec major apud Chattos peditum laus, quam Tencteris equitum. Sic instituere majores; posteri imitantur; hi lusus infantium, haec juvenum aemulatio, perseverant senes. Inter familiam et penates et jura successionum equi traduntur: excipit filius, non, ut cetera maximus natu, sed prout ferox bello et melior.

XXXIII.

De Bructeris, Chamavis et Angrivariis.

Juxta Tencteros Bructeri olim occurrebant; nunc Chamavos et Angrivarios immigrasse narratur, pulsis

---

ut cetera] Ita Codd. Hummel. et Longol.; Cod. Turic. ut exstat.

XXXII. alveo] i. e. quod attinet ad alveum.
quique] elegans Hyperbaton!
Usipii] Ann. I, 51; Caes. B. G. IV, 1. et Tencteri saepius sedes mutarunt. Urbes eorum nullae laudantur, quippe hinc illinc migrantium. Bredov.
Tencteris] i. e. apud Tencteros; animadvertas miram Taciti elegantiam!
Inter — successionum] per gradus dictum est.
cetera] reliquam supellectilem.
melior] bello, simili Graecae linguae dictione.

XXXIII. Bructeri] inter Lupiam et Amisiam habitaverunt. Ann. I, 60. Chamavi, quorum vestigia in nomine urbis Hamm mansisse videntur, et Angrivarii ab oriente in fines Bructerorum immigrarunt, ex illis regionibus, ubi etiam nunc circa Albim vestigia denominationis extant in Angern, Angermünde cet.
occurrebant] Ex seriore demum Latinitate recte dictum. De structura verbi narratur ex eadem ratione judicandum. cf. Tacit. I, 10; Hist. I, 50, 90.

Bructeris ac penitus excisis vicinarum consensu nationum, seu superbiae odio seu praedae dulcedine seu favore quodam erga nos Deorum. Nam ne spectaculo quidem proelii invidere; super sexaginta millia, non armis telisque Romanis, sed, quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt. — Maneat, quaeso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui: quando in urgentibus Imperii fatis nihil jam praestare fortuna majus potest quam hostium discordiam.

XXXIV.

De Dulgibinis, Chasuaris et Frisis.

Angrivarios et Chamavos a tergo Dulgibini et Chasuari cludunt aliaeque gentes, haud perinde memoratae. A fronte Frisii excipiunt. Majoribus minoribusque Frisiis vocabulum est ex modo virium.

---

in urgentibus] Ita Cod. Turic.; urgentibus Codd. Hummel. et Longol.; in vergentibus Cod. Arundel.; urgentibus jam edd. Nor. Vienn.

cludunt] alii Longolio teste claudunt (cf. c. 40, 43, 44. et Hist. I, 33.); utraque forma aetati Taciteae frequentata.

---

ne spectaculo — invidere] Invidere his modis construitur a Latinis: invidere alicui aliquid, alicui alicujus rei, alicui aliqua re, alicui in aliqua re. Hess.

oblectationi oculisque] per Hendiadyn est pro ad oblectationem oculorum.

quaeso] sc. Deos, Terent. Andr. III, 2, 7; Cic. ad Famil. XI, 3.

in urgentibus] elegantem non solum, sed subtilem usum praepositionis animadvertant verae Latinitatis studiosi.

XXXIV. a tergo] ab Oriente, Visurgin versus. Aliaeque gentes Amsibarii et Tubantes, Annal. XIII, 55. Bredov.

haud perinde] i. e. non aeque, non eodem modo v. Forcellin. s. voc.

ex modo virium] nach dem Maaſs ihrer Nationalkräfte.

Utraeque nationes usque ad Oceanum Rheno praetexuntur ambiuntque immensos insuper lacus et Romanis classibus navigatos. Ipsum quin etiam Oceanum illa tentavimus. Et superesse adhuc Herculis columnas, fama vulgavit; sive adiit Hercules, seu, quicquid ubique magnificum est, in claritatem ejus referre consensimus. Nec defuit audentia Druso Germanico; sed obstitit Oceanus, in se simul atque in Herculem inquiri. Mox nemo tentavit; sanctiusque ac reverentius visum, de actis Deorum credere quam scire.

XXXV.

De Chaucis.

Hactenus in Occidentem Germaniam novimus.

---

illa] Cod. Turic. illac.
consensimus] Cod. Hummel. consuevimus.

---

praetexuntur] Ann. II, 56; Hist. II, 6.
Romanis — navigatos] more Taciteo ex affectatione sermonis poetici dictum, scilicet, quod semel monuisse sat est, in tali re.
Oceanum] septentrionalem; illa sc. parte, via, regione.
Herculis columnas] sc. septentrionalis.
adiit] Ex vocabuli positura supplendum vere.
claritatem] insigni ejus gloriae ex omnium consensu addere consuevimus.
Druso Germanico] filio Drusi, privigno Augusti. Bredov. Donec quisquam probaverit, Germanicum, Drusi filium, Drusum Germanicum dici posse, veram putabo emendationem Freinshemii: Druso et Germanico Passov. quem v. ad h. l.
inquiri] non opus quidem est, ut cum Ernestio scribatur inquirenti; at salvus sit Ernestius verae Latinitatis optimus inter optimos suasor.
credere, quam scire] ex subdola potius aetatis suae quam ex sua ipsius natura dixit Tacitus.
XXXV. In occidentem — in septentrionem] i. e. versus.

In Septentrionem ingenti flexu redit. Ac primo statim Chaucorum gens, quanquam incipiat a Frisiis ac partem litoris occupet, omnium, quas exposui, gentium lateribus obtenditur, donec in Chattos usque sinuetur. Tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci, sed implent: populus inter Germanos nobilissimus quique magnitudinem suam malit justitia tueri. Sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. Id praecipuum virtutis ac virium argumentum est, quod, ut superiores agant, non per injurias assequuntur. Prompta tamen omnibus arma, ac, si res poscat exercitus, plurimum virorum equorumque. Et quiescentibus eadem fama.

---

ac primo] Cod. Longol. a primo.

sed] et omisi cum Nor. cf. c. 15. sed publice.

Id] Rhen. idque, sine auctoritate.

injurias] Nor. injuriam.

ac — equorumque] Veram hanc loci distinctionem praebet ed. Vien.; Cod. Turic. plurimus; optime! (ac, si res poscat, exercitus plurimus virorum, equorumque).

---

ingenti flexu] quasi facto.

Chaucorum] cf. Plin. H. N. XVI, 1; habitabant inter Visurgim et Albim.

quanquam] v. ad XXVIII. quamvis.

donec] v. ad I. erumpit.

implent] Contrarium est apud Metam. I, 4, 36: Habent potius terras quam habitant. Kapp.

malit] Conjunctivus modus ut ex mente scriptoris.

sine impotentia] i. e. sine abusu potentiae cf. Corn. Nep. Lys. I, 4. ibique annotationem meam.

populantur] abhorrebant Chauci a moribus reliquorum Germanorum v. c. XIV. Hess.

agant] intransitive dictum pro sint, vivant.

plurimum] i. e. maxima pars.

quiescentibus] i. e. bellum non gerentibus.

XXXVI.

De Cheruscis et Fosis.

In latere Chaucorum Chattorumque Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutriverunt. Idque jucundius, quam tutius fuit, quia inter impotentes et validos falso quiescas; ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. Ita qui olim boni aequique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur. Chattis victoribus fortuna in sapientiam cessit. Tacti ruina Cheruscorum et Fosi, contermina gens; adversarum rerum ex aequo socii sunt, cum in secundis minores fuissent.

XXXVII.

De Cimbris.

Eundem Germaniae sinum proximi Oceano

---

nomina superioris] Cod. Turic. nomine superiores.

Tacti] Cod. Hummel. tracti.

sunt] temere Lipsius expulit.

sinum] Ita Codd. Turic. et Hummel.; situm Codd. Vatic. Arundel.

XXXVI. In latere] orientali circa Albim, austrum versus usque Salam. Bredov.

marcentem] quod Cherusci longa pace a pristina virtute defecerunt imbellesque facti sunt. cf. Agric. XI.

nutriverunt] Ovid. Fast. I, 704. Kapp.

impotentes] superbos, opibus suis elatos.

falso quiescas] falleris dum quiescis. Dilthey.

manu agitur] res vi dirimuntur.

superioris] ejus, qui e certamine superior, victor evaserit.

fortuna] prospera, ob fortunam sapientes judicati sunt.

Tacti] ut fulmine tanguntur homines. Tracti verum esset, si sequeretur deinceps in ruinam, tamen alio sensu.

Fosi] nomen accepisse videntur a Fusa, amni Hildesiensi prope Peinam, qui Cellae Allerae miscetur. Pass.

minores] quam ex aequo.

XXXVII. sinum] Sinus est ea pars Germaniae, quam

Cimbri tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens; veterisque famae lata vestigia manent, utraque ripa castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis et tam magni exitus fidem.

Sexcentesimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Caecilio Metello ac Papirio Carbone Coss; ex quo si ad alterum Imperatoris Trajani Consulatum computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur. Tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi aevi spatio multa invicem damna. Non Samnis, non Poeni, non Hispaniae Galliaeve, ne Parthi quidem

---

Samnis] Cod. Turic. Samnites.

admonuere] Cod. Turic. admovere sc. exercitum; dictio frigida! Passov.

---

c. XXXV. ingenti flexu in septentrionem redire dixit. Eundem sc. cum Cheruscis et Chaucis, alii ad Chaucos tantum referunt. Hess.

Cimbri] De sedibus Cimbrorum dubitatur, licet in Chersoneso Cimbrica eas fuisse vulgo statuant. Item, Cimbri et Cimmerii iidem habendi sint.

utraque ripa] sc. Rheni cf. XVII, XXIII, XVIII.

ambitu] ex quorum ambitu.

molem manusque] moles ad universam populi multitudinem, manus ad eos, qui arma ferre possent, pertinet. v., quae antecedunt, castra et spatia.

exitus] i. e. migrationis. Saepius verbum exeundi hoc sensu usurpatur. Caes. B. C. III 69.

Sexcentesimum] De bello Cimbrico cf. Joh. Müllerum Turici 1782. et interpret. german. Dippoldi Opp. Mülleri Tom. XII.

Caecilio — Coss] anno Urbis secundum rationem Varronis 641.

alterum — consulatum] anno Urbis 851, p. Ch. n. 98.

vincitur] i. e. tantum in devincenda Germania tempus teritur.

damna] illata sunt.

Samnis] ad Furculas Caudinas Liv. IX, 2; Poeni bellis Punicis; Hispaniae Liv. XXVI, 192. Viriathus et Numantini; Galliae v. Caes. Com. B. G. Bredov.

saepius admonuere, quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quam caedem Crassi, amisso et ipso Pacoro, infra Ventidium dejectus Oriens objecerit? At Germani, Carbone et Cassio et Scauro Aurelio et Servilio Caepione, Cn. quoque Manlio fusis vel captis, quinque simul consulares exercitus Populo Romano, Varum tresque cum eo legiones etiam Caesari abstulerunt. Nec impune C. Marius in Italia, divus Julius in Gallia, Drusus ac Nero et Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Caesaris minae in lu-

---

et ipso] Ita Cod. Turic. et ed. Vienn.; edd. Put. Nor. amisso et ipso et ipse Pacoro; unde Rhen. amisso et ipse Pacoro.

Cn.] Omn. Codd. et Editt. M., vitium ex similitudine scripturae potius ortum quam ἁμάρτημα μνημονικόν.

---

admonuere] warnten illatis vulneribus, cladibus.

regno — libertas] Bene opponuntur.

amisso et ipso] qua caede et ipsi grave vulnus acceperunt.

infra — dejectus — objecerit] Contorta potius quam elegans dictio.

Ventidium] Ventidius erat Antonii legatus 715 u. c., e mulione consul factus. Caos. Philipp. XIII, 2; Juven. VII, 199.

Carbone et Cassio] ad Norejam anno urbis 647.

Scauro Aurelio et Cn. Manlio] anno urbis 649.

Varum] anno p. Ch. n. 9; Sueton. Octav. 23; Flor. IV, 12. Bredov.

Caesari] Octaviano Augusto.

Caj. Marius] a. urbis 652.

Julius] Caesar v. Comment. de B. G.

Drusus] Quatuor fecit expeditiones in Germaniam.

Nero] Tiberius Nero Caesar, Augusti privignus, Drusi frater.

Germanicus] Quatuor expeditiones in Germanos ab eo susceptae ab anno 14 — 15 p. Chr. n. enarrantur in Taciti annalibus, 1. Ann. I, 44—52; 2. Ann. 55—59; 3. 60—71; 4. II, 5—26.

suis] arctissime jungendum cum pronomine eos.

Caesaris] Caligulae. Quales C. Caesaris Caligulae mi-

dibrium versae. Inde otium, donec occasione discordiae nostrae et civilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectavere; ac rursus pulsi, inde proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt.

XXXVIII.

De Suevis.

Nunc de Suevis dicendum est, quorum non una, ut Chattorum Tencterorumve, gens. Majorem enim Germaniae partem obtinet, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quanquam in commune Suevi vocentur. Insigne gentis, obliquare crinem nodoque substringere; sic Suevi a ceteris Germanis, sic Suevorum ingenui a servis separantur. In aliis gentibus seu cognatione aliqua Suevorum seu, quod saepe accidit, imitatione rarum et intra juventae spa-

---

inde] Ita editt. Put. et Vienn. interpugunt alii: pulsi inde, proximis.

obliquare] Cod. Hummel. obligare.

---

nae fuerint, apparet ex Sueton. Calig. 45—47; Eutrop. VII, 17; Tacit. Hist. IV. 15.

otium] regnante Claudio, Sueton. Claud. 24; Nerone anno 58, Tacit. Ann. XIII, 53—56.

discordiae] post mortem Neronis exortae.

expugnatis hibernis] cf. Tacit. Hist. IV, 15; Agricol. 41.

Gallias affectavere] maxime Batavi, Claudio Civili duce anno p. Chr. n. 69. Tacit. Hist. IV, 12 seqq. Bredov.

triumphati] ut regnantur. c. XXXIV.

XXXVIII. Suevis] Nomados esse volunt, quasi die Schweifenden.

adhuc] insuper.

obliquare crinem] in circulos, qui in obliquum se torquent, flectere crinem et sub finem, in summo turriculae crinitae, nodo subnectere. Bredov.

separantur] i. e. distinguntur. cf. Dithm. ad h. l.

tium; apud Suevos usque ad canitiem horrentem capillum retro sequuntur ac saepe in ipso solo vertice ligant. Principes et ornatiorem habent; ea cura formae, seu innoxiae; neque enim ut ament amenturve; in altitudinem quandam et terrorem adituri bella compti, ut hostium oculis ornantur.

XXXIX.

De Semnonibus.

Vetustissimos se nobilissimosque Suevorum Semnones memorant. Fides antiquitatis religione firmatur. Stato tempore in silvam auguriis patrum et

---

in ipso solo] Cod. Longol. edd. Rom. Nor. in solo.
ligant] Cod. Longol. ed. Nor. religatur.
ornantur] Cod. Longol. armantur; Cod. Bamb. armentur.
Stato] Cod. Turic. Put. Vienn. statuto.

---

horrentem] densum, asperum, retro fluentem.
sequuntur] Tacit. ipse Ann. III, 69. sequi usurpavit sensu verbi indulgere. Passov.
in ipso solo] nur gerade auf dem Scheitel.
et] non ad augendam vim comparativi gradus dictum sed ut nos auch wol.
innoxiae] Formam ipsam, cui exquisitiorem hanc adhibebant curam, jure dixit innoxiam, quippe quae nihil noceret morum integritati et sanctitati; hostium enim oculis terrorem incussuri comabantur. Passov.
hostium oculis] Nam primi in omnibus proeliis oculi vincuntur. c. XLIII.
XXXIX. Vetustissimos] contra vulgarem vocabuli usum cum laude dictum.
Semnones] Σέμνωνες Strabo, Σέμνονες Ptolem. Eorum fines Albis praeterfluit Vellej. Pat. II, 106, et Ptolemaeo auctore orientem versus Suevus amnis, fortasse Viadrus (Mannert. Tom. III. p. 522. ostium Varnae prope Rostochium) eos praetexit. Bredov.
Fides — firmatur] i. e. ut credamus gentem antiquam esse, etiam religionis ratio suadet. Ern.
auguriis — sacram] Hexameter est cf. Virgil. Aen. VII, 172. et 608. Undeviginti Hex. ex Taciti Opp. congessit

prisca formidine sacram omnes ejusdem sanguinis populi legationibus coeunt caesoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. Est et alia luco reverentia: nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor et potestatem numinis prae se ferens. Si forte prolapsus, attolli et insurgere haud licitum: per humum evolvuntur. Eoque omnis superstitio respicit, tanquam inde initia gentis, ibi regnator omnium Deus, cetera subjecta atque parentia. Adjicit auctoritatem fortuna Semnonum: centum pagis habi-

---

omnes ejusdem sanguinis populi] Cod. Arundel. omnes nominis ejusdemque sanguinis.

horrenda] Cod. Longol. horrentia.

prolapsus] Ita Cod. Turic. edd. Put. Vienn.; est addit sola Nor.

Adjicit] Cod. Turic. adducit.

habitant] Omn. Codd. habitantur. Largam emendationum segetem v. apud Passov. habitant Ernestio debetur.

Joh. Bambanius Hamburgensis apud Fabricium Bibl. Lat. II, p. 389. Passovius laudat verba Demosthenea de cor. 47: Τὸν γὰρ ἐν Ἀμφίσσῃ πόλεμον, δι' ὃν εἰς Ἐλάτειαν ἦλθε Φίλιππος. Ciceronis judicium de versibus prosariae orationi insertis. v. Orat. 20 et 56.

legationibus] missis, sublimiore dicendi genere pro: omnium populorum — legationes coëunt.

publice] publica auctoritate.

minor] sc. viribus ut c. XXXVI. Longol. inferior, ἥττων. cf. Horat. Epist. I, 10, 35: minor in certamine longo. Ruhnk. Praefat. ad Schell. Lex.

potestatem] cum modestia quadam dictum.

insurgere] pedibus.

evolvuntur] se evolvunt, tantum per — sese evolvere licitum.

regnator] De frequenti apud Tacitum horum substantivorum usu. v. dissertationem meam Athen. II, 2. p. 269 seqq.

Adjicit auctoritatem] sc. isti superstitioni, fidem ejus auget. Adjicere etiam absolute dici pro augere. v. Lex. s. v.

tant, magnoque corpore efficitur, ut se Suevorum caput credant.

XL.

De Longobardorum, Reudignorum, Avionum, Anglorum, Varinorum, Eudosium, Suardonum et Nuithonum communi Herthae cultu.

Contra Langobardos paucitas nobilitat, quod plurimis ac valentissimis nationibus cincti, non per obsequium sed proeliis et periclitando tuti sunt. Reudigni deinde et Aviones et Anglii et Varinii et Eudoses et Suardones et Nuithones fluminibus et silvis muniuntur. Nec quicquam notabile in singulis, nisi quod in commune Nerthum id est Terram matrem

---

corpore] Cod. Hummel. numero.

Langobardos] De scriptura v. Passov.

paucitas nobilitat] Unus hanc lect. praebet Cod. Farnes. Corruptelarum farraginem v. apud Passov.

Nerthum] Sic Codd. et vett. edd. Non potest dubitari, quin de Hertha loquatur Tacitus; tamen videndum est, ne ipsum auctorem corrigamus. Passov.

---

magnoque corpore] i. e. finium amplitudine, reipublicae magnitudine.

XL. Langobardos] circa Albim inferiorem. De origine nominis dissentiunt V. V. DD. alii ab armorum genere (Barten, langen Barden, Hellebarden), alii a demissis, longis barbis, alii a primis sedibus (Börde, Langebörde) gentem esse appellatam putantes. cf. Dithmar. ad h. l.

plurimis — cincti] ut Marcomannis, Semnonibus, Cheruscis, Hermunduris. Bredov. Obiter animadvertendum, quid differat inter dictiones: a plurimis — cincti et solo ablativo: plurimis — cincti.

per — periclitando] Satis multa sane Hyperbata.

Reudigni] Reudignorum ceterorumque horum populorum sedes certo definiri non possunt, exceptis Anglis, qui ad ostia Albis in dextra potius quam sinistra ripa habitasse videntur. Verisimile, et reliquos circa easdem regiones propius remotiusve sedes suas habuisse.

colunt eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur. Est in insula Oceani castum nemus dicatumque in eo vehiculum, veste contectum. Attingere uni sacerdoti concessum. Is adesse penetrali Deam intelligit vectamque bubus feminis multa cum veneratione prosequitur. Laeti tunc dies, festa loca, quaecunque adventu hospitioque dignatur; non bella ineunt, non arma sumunt; clausum omne ferrum; pax et quies tunc tantum nota, tunc tantum amata donec idem sacerdos satiatam conversatione mortalium Deam templo reddat. Mox vehiculum et

---

in eo] Cod. Turic. in ea; correxit Rhen.

multa cum veneratione] omittunt praepositionem Cod. Turic. editt. Put. Vienn.; utrumque tali quidem loco recte!

quaecunque] quemcunque Nor.

---

intervenire — hominum] non solum curare res humanas, sed ipsis sese immiscere.

populis] Invehi cum dativo interdum construi doc. Rhunk. ad Rut. Lup. p. 135, tamen de rebus potius quam de personis. cf. Liv. I, 59. corpori invecta; Tacit. Ann. II, 23. Oceano invexit.

insula] Alii aliam esse volunt, Helgoland, Femeren, Bornholm, Scandinavien, Seeland; Passovius cum Zöllnero Itin. Pom. p. 250 sq. et Gagernio Hist. nat. Germ. I. p. 57. Rugiam esse gravissimis rationibus demonstrat.

castum] nulla re profana pollutum corruptumque. Bredov.

veste] tegmine, stragula, Decke. Kapp.

uni] nemini nisi ejus sacerdoti.

penetrali] De sacro vehiculo recte intelligit Dilthey.

festa] ut Horat. Carm. III, 18, 11: festus in pratis — pagus.

hospitioque] suo dignatur Dea.

pax et quies] Vocc. pax bellis externis, quies intestinis seditionibus h. l. opponi videntur.

tantum] i. e. sola; non enim cum voc. tunc jungendum est.

templo] i. e. sacro nemori; templum enim ut τέμενος quicunque locus Diis vel rebus divinis sacratus. cf. Ov. Metam. V, 258. Lucret. V, 946.

reddat] cf. I. erumpit. Etiam ad tempus reddat animum advertant studiosi Latinitatis.

vestes, et, si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. Servi ministrant, quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror sanctaque ignorantia, quid sit illud, quod tantum perituri vident.

XLI.

De Hermunduris et Albi fluvio.

Et haec quidem pars Suevorum in secretiora Germaniae porrigitur. Propior (ut, quomodo paulo ante Rhenum, sic nunc Danubium sequar) Hermundurorum civitas, fida Romanis; eoque solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus, atque in splendidissima Rhaetiae provinciae colonia. Pas-

Servi] Nor. Suevi.
quid sit illud] Ita editt. Nor. Rhen. Long.; quid sit id Cod. Turic. ed. Vienn.
eoque solis] Cod. Turic. eaque sola.

---

sancta] pia, verecunda.
perituri] i. e. ita tantum, ea tantum lege videre possunt, ut pereant.

XLI. in secretiora Germaniae] Ex more Taciteo ut Hist. IV, 28. extrema Galliarum, etiam proeminentia montium Ann. II, 16; Germ. XLIII. pauca campestrium.
propior] Romanis.
Hermundorum civitas] De Hermunduris eorumque sedibus v. Dithm. et Dilthej. ad h. l.
solis Germanorum] v. ad secretiora etc. Athen. a me et Wachsmuthio editi II, 2, p. 267. not.
non — sed] paene accedit ad significationem dictionis non solum, sed.
penitus] in interioribus terrae regionibus, ἐν τῷ μεσογείῳ.
splendidissima] non solum aedificiorum splendorem, sed etiam incolarum copiam et mercaturae frequentiam significare videtur.
colonia] quae tunc etiam proprio quodam nomine destituta primum apud Sext. Ruf. Breviar. 10. Augusta Vindelicorum (Augsburg) nominatur, ut ad h. l. annotavit Passow.

sim et sine custode transeunt; et quum ceteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos villasque patefecimus, non concupiscentibus. In Hermunduris Albis oritur, flumen inclitum et notum olim; nunc tantum auditur.

XLII.

De Nariscis, Marcomanis et Quadis.

Juxta Hermunduros Narisci ac deinde Marcomani et Quadi agunt. Praecipua Marcomanorum gloria viresque; atque ipsa etiam sedes, pulsis olim Bojis, virtute parta. Nec Narisci Quadive degenerant. Eaque Germaniae velut frons est, quatenus

---

Passim et] excidit copula in Nor. Rhen.
ostendamus] Cod. Turic. commendamus.

Passim] non praescriptis quibusdam viis.

sine custode] cf. Tacit. Hist. IV, 64, 65. Bredov.

non concupiscentibus] quasi ut non concupiscentibus, quoniam non concupiscerent. Verbum concupiscere interdum absolute dicitur (nimia cupiditate flagrare, abripi) ut Cic. pr. Sext. c. 21: Sicut tu semper summe concupisti. Notionem vocabuli disces ex verbis Sallustianis Cat. 7. ed. Tell.: Pecuniam nemo sapiens concupivit.

inclitum et notum] Romanis, olim cf. c. XXXVII.

auditur] fando. cf. Ann. II, 24. inauditas volucres. Kapp.

XLII. Narisci] ad montem piniferum in confiniis Franconiae et Bohemiae habitasse videntur; Marcomanorum sedes, pulsis Bojis, erat Bohemia, saltu Hercynio circumclusa v. c. XXVIII; Quados alii Silesiae, alii Moraviae incolas faciunt. Bredov.

Eaque — peragitur] Si quid recte video et in singulis verbis et in ipsa hujus loci dictione, sensus hic est: Ea pars Germaniae, quam Danubius praeterfluit, quasi frons, i. e. pars nobis adversa est. Frons h. l. non tantum de extremis finibus dictum esse potest. Peragitur Danubio (casu dativo pro a Danubio) cum Hessio intelligo de praeterlabente flumine. cf. Ovid. Hesiod. XV, 65. peragere freta; Val. Flacc. I, 566. peragere orbaque, quos lo-

Danubio peragitur. Marcomanis Quadisque usque ad nostram memoriam reges manserunt ex gente ipsorum, nobile Marobodui et Tudri genus; jam et externos patiuntur. Sed vis et potentia regibus ex auctoritate Romana; raro armis nostris, saepius pecunia juvantur; nec minus valent.

XLIII.

De Marsignis, Gothinis, Osis, Buriis, Lygiis Lygiorumque civitatibus, de Gothonibus, Rugiis et Lemoviis.

Retro Marsigni, Gothini, Osi, Burii; terga Marcomanorum Quadorumque claudunt. E quibus Marsigni et Burii sermone cultuque Suevos referunt.

---

peragitur] Ita Codd. Lips. Turic. Bamb. Longol., editt. Spir. Nor. Mon.; pergitur edd. Ald. Fut. Vienn. v. Passov. ad h. l.

Quadisque] Ita Cod. Turic. et ed. Nor.; Quadisve ed. Spir.

Tudri] Cod. Long. Trudi.

nec minus valent] Haec verba Passovius praeeunte edit. Vienn. ex initio seq. capitis huc transposuit.

---

cos laudat Hess. Tali modo satis expeditus mihi videtur locus ad dictionem Taciteam.

reges] cf. Ann. II, 44 sq., 62 sq.; XII, 29. Bredov.

Marobodui] cf. Ann. II, 62; Suet. Tib. 37; Vellej. Paterc. II, 129. Kapp.

Tudri] Tudri nomen nusquam alias commemoratum.

externos] Respicitur ad Catualdam regesque Hermundurorum, quorum erat Vibilius Ann. II, 62, 63. Hess.

ex auctoritate Romana] Eodem modo Venones Roma petitus acceptusque est apud Parthos. Ann. II, 1.

nec minus valent] Accipiebant pecuniam a Romanis reges Marcomanorum et Quadorum, nec tamen ideo minus valebant, ac si nihil tulissent, non enim tanquam pauperiores a divitibus accipiebant, sed victores a victis reportabant. Passov.

XLIII. Retro] orientem versus. Bredov.

referunt] cf. c. XX. Eodem significatio apud alios, potissimum poetas ut Virgil. Aen. IV, 329: qui Te tamen ore referret.

Gothinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit, non esse Germanos, et quod tributa patiuntur. Partem tributorum Sarmatae, partem Quadi ut alienigenis imponunt. Gothini, quo magis pudeat, et ferrum effodiunt. Omnesque hi populi pauca campestrium, ceterum saltus et vertices montiumque jugumque insederunt. Dirimit enim scinditque Sueviam continuum montium jugum, ultra quod plurimae gentes agunt; ex quibus latissime patet Lygiorum nomen, in plures civitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficiet, Arios, Helveconas, Manimos, Elysios, Nahanarvalos. Apud Nahanarvalos

---

et quod] Copulam omisit Mon.
jugumque] Cod. Arund. jugaque.
continuum montium] Cod. Turic; editt. Nor. Mon. omittunt montium.

Osos Pannonica] cf. c. XXVIII.
et quod patiuntur] Hyperbaton, vix ulli linguae usitatior quam Francicae praesertim tali verborum positura.
tributa non pat.] v. c. XXIX: tributis non contemnuntur.
quo magis pudeat] i. e. ut eo magis eos pudeat; quod quidem dicendi genus rhetorem potius quam modestum scriptorem redolet in unaquaque lingua.
ferrum effodiunt] Nec sibi libertatem asserere valent.
pauca campestrium] v. ad c. XLI. secretiora Germaniae.
jugumque] cf. verba deinceps sequentia continuum montium jugum. De ipsa regione v. Dilthej. ad h. l.
insiderunt] Insidere c. casu Accusativo v. Duker. ad Flor. III, 21. 7; Graev. ad IV, 7, 6.
Lygiorum] Lygii in Silesia habitasse putantur Ann. XII, 29, 30. Singularum civitatum sedes describere parum liquet. Bredov.
nomen] i. e. gens, ut nomen Romanum, nomen Latinum aliaque, quae passim leguntur, imprimis apud Livium ut I, 10, 38; II, 2, quos locos laudat Kess.
Elysios] Incolas Silesiae, a quibus sunt qui Silesios nomen accepisse putant. v. Henel. c. I. §. 17, 34. ibique Fibigerus. Dithmar.

antiquae religionis lucus ostenditur. Praesidet sacerdos muliebri ornatu; sed deos, interpretatione Romana, Castorem Pollucemque memorant: ea vis numini, nomen Alcis. Nulla simulacra, nullum peregrinae superstitionis vestigium; ut fratres tamen, ut juvenes venerantur. Ceterum Arii, super vires, quibus enumeratos paulo ante populos antecedunt, truces, insitae feritati arte ac tempore lenocinantur: nigra scuta, tincta corpora; atras ad proelia noctes legunt; ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum; nam primi in omnibus proeliis oculi vincuntur. Trans Lygios Gothones regnantur, paulo jam adductius, quam cete-

---

religionis] Nor. regionis.

ea vis numini] Ita ex Cod. Hummel., edit. Nor. rec. Ernest.; reliqui ejus numinis nomen etc.

Arii] Nor. alii.

regnantur] Correctio Rhenani; Codd. Vaticani et Cod. Bamb. et edd. ante Rhen. regnant.

---

antiquae religionis lucus] i. e. lucus antiqua religione celebratus. cf. c. XXXIX. silvam, auguriis patrum et prisca formidine sacram.

muliebri ornatu] sc. indutus, quale vocabulum temperatius dicendi genus requirat.

ea vis — Alcis] Dicere vult, Alcis numen apud Germanos eandem vim sive significationem habere, quam apud Romanos Castorem et Pollucem. Kapp.

Alcis] Obscurum nomen Anton. interpret. vern. p. 186. vocabulo Slavonico illustrare conatur holcż, i. e. puer holczy pueri. Qui plura velit, adeat Dithmar. ad h. l.

peregrinae] Romanam vel Graecam significat.

tamen] i. e. mirum tamen, quod ut fratres — venerantur.

super] etiam ultra vires suas.

arte] nigra — corpora.

tempore] atras ad proelia noctes legunt etc.

tincta corpora] mos barbarus, gentibus Germanicis plane ignotus. Wesseling ad Herod. V, 6. J. Beckmann Animadv. minor. I, 10. p. 69. Passov.

regnantur] i. e. a regibus reguntur cf. c. XXXVII. triumphati.

rae Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugii et Lemovii. Omniumque harum gentium insigne: rotunda scuta, breves gladii et erga reges obsequium.

XLIV.

De Suionibus.

Suionum hinc civitates, ipsae in Oceano, praeter viros armaque classibus valent. Forma navium eo differt, quod utrinque prora paratam semper appulsui frontem agit. Nec velis ministrantur nec remos in ordinem lateribus adjungunt: solutum, ut in quibusdam fluminum, et mutabile, ut res poscit, hinc vel illinc remigium. Est apud illos et opibus honos; eoque unus imperitat, nullis jam exceptioni-

---

Ipsae] Ita Codd. Turic. Arundel. Hummel.; ipse editt. Nor. Vienn.; sitae (non ipso) conj. Rhenani.

ministrantur] Lipsius ex ingenio ministrant.

hinc vel illinc] Nor. hinc vel hinc (ἔνθεν καὶ ἔνθεν; ἔνθα καὶ ἔνθα).

---

adductius] i. e. adductioribus habenis, minore specie libertatis et majore solutioreque potestate regia. Forcell.

Rugii] in insula Rugia; Lemovii in Pomerania ulteriore.

XLIV. Suionum] insulam in Oceano, i. e. in mari Baltico praeter Tacitum nullus antiquorum scriptorum refert. Plerique docti opinantur, Sueciae partem meridionalem indicari, quam fama cognitam insulam fuisse veteres credidisse. Bredov.

utrinque — agit] Naves biprorae, simili fere modo constructae a Germanico. Tacit. Ann. II, 6. Hess.

ministrantur] adjuvantur cf. c. XXXVII. triumphati.

in ordinem] ἑξείης.

in quibusdam fluminum] Genitivus hac structura Tacito frequentatus. cf. c. XLI.

opibus honos] respicit ad c. V. Bredov.

exceptionibus] conditionibus, quibus circumscripta est regia potestas. Hess.

bus, non precario jure parendi. Nec arma, ut apud ceteros Germanos, in promiscuo; sed clausa sub custode et quidem servo: quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus, otiosa porro armatorum manus, facile lasciviunt. Enimvero neque nobilem neque ingenuum, ne libertinum quidem armis praeponere, regia utilitas est.

XLV.

De mari pigro, Aestyis et Sitonibus.

Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope immotum, quo cingi cludique terrarum orbem, hinc fides, quod extremus cadentis jam solis fulgor in ortus edurat adeo clarus, ut sidera hebetet. Sonum insuper audiri, formas deorum et radios capitis aspici,

---

in promiscuo] Ita Nor.; neque promiscuo Cod. Turic.; editt. Put. Vienn. Mon.

cludique] Ita Nor. Rhen.; claudique Put. Vienn. Mon. cf. c. 34.

Sonum insuper audiri] Ita Cod. Turic. Sonum insuper emergentis audiri Cod. Hummel., unde Lips. se mergentis, Coler. immergentis.

formas] Ita Cod. Turic., editt. Put. Vienn. Mon.; formasque Nor. Rhen.

---

precario] cf. Tacit. Hist. I, 52; Agric. 16. Hess.

jure parendi] Gerundium significatione passiva v. Passov. ad h. l. Insuper notandum verbum intransitivum.

otiosa lasciviunt] v. Passov. ad h. l. Inest tamen, quod jure displiceat; an forte: otiosa — manu facile lasciviunt. II, 2. cf. Agric. 16.

XLV. pigrum] Agric. 10—12. Bredov.

in ortus] i. e. ad initia dierum sive ortus diurnos Hess.

edurat] Praepositio auget potestatem verbi.

Sonum insuper audiri] Interpretatus est haec verba Schlözerus Hist. univ. septent. p. 139. de fulgoribus borealibus.

formas deorum] spectra et simulacra Deorum.

radios capitis] apices, nimbi, Ovid. Met. VI, 41.

persuasio adjicit. Illuc usque, et fama vera, tantum natura. Ergo jam dextro Suevici maris littore Aestyorum gentes alluuntur; quibus ritus habitusque Suevorum, lingua Britannicae propior. Matrem deûm venerantur. Insigne superstitionis formas aprorum gestant: id pro armis omniumque tutela; securum deae cultorem etiam inter hostes praestat. Rarus ferri, frequens fustium usus. Frumenta ceterosque fructus patientius quam pro solita Germanorum inertia laborant. Sed et mare scrutantur, ac soli omnium succinum, quod ipsi Glesum vocant, inter vada atque in ipso littore legunt. Nec, quae natura quaeve ratio gignat, ut barbaris, quaesitum comper-

---

Illuc usque — natura] Isaac. Vossius in libro vet. invenit: Illuc usque, ut fama, non tamen natura. Lipsius corr. si.

omniumque] Cod. Turic. omnique.

gignat] Put. Vienn. Mon. gignit.

---

persuasio] cf. Suet. Caes. 88; Tacit. Hist. V, 5, 13.

adjicit] v. ad c. XXXIX. adjicit.

Illuc — natura] Tantum jungendum cum Illuc usque cf. c. XL. tunc tantum. Laudat Bredovius Senec. Suas. I. p. 5. edit. Bipont.: Ita est rerum natura: post omnia Oceanus, post Oceanum nihil.

Ergo jam] Ut ergo a fine naturae jam redeam ad veritatem Bredov.

Suevici] i. e. Baltici; Aestyorum nomen latet in voc. Esthen.

Insigne — gestant] Sunt Amuleta (Talismanne) ex ligno vel metallo vel quavis alia materia. Hess. Aper quibusdam gentibus erat symbolum fertilitatis vel fortitudinis. v. Oberlin ad Caes. B. G. I, 3.

Frumenta ceterosque — laborant] Insolentius dictum, i. e. frumentis frugibusque colendis operam dant. Hess. Patientius, i. e. diligentius, enixius.

Glesum] i. e. Glas, ἤλεκτρον, Bernstein. Plin. Hist. Nat. XXXVII, 2, 3. Bredov.

Nec] Non tamen.

ut barbaris] pro solita barbarorum incuria. De particula ut, v. annotationem meam ad Corn. Nep. Epamin. V, 2: ut Thebanum scilicet.

tumve; diu quin etiam inter cetera ejectamenta maris jacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. Ipsis in nullo usu: rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt. Succum tamen arborum esse intelligas, quia terrena quaedam atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quae implicata humore, mox, durescente materia, cluduntur. Foecundiora igitur nemora lucosque, sicut Orientis secretis, ubi tura balsamaque sudantur, ita Occidentis insulis terrisque inesse crediderim, quae vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur ac vi tempestatum in adversa littora exundant. Si naturam succini admoto igni tentes, in modum taedae accenditur alitque flammam pinguem et olentem; mox ut in picem resinamve lentescit. Suionibus Sitonum gentes continuantur: cetera similes, uno differunt, quod femina dominatur; in tantum non modo a libertate sed etiam a servitute degenerant. Hic Sueviae fines.

---

fines] Ita Cod. Turic., editt. Spir. Nor.; finis editt. Put. Mon. Vienn. Rhen.

---

dedit nomen] i. e. famam conciliavit. Hess.

informe] unbearbeitet, non formatum.

perfertur] per Pannoniam ad mare Adriaticum. v. Plin. H. N. I, 6.

tura] solis sunt Sabaeis, balsamaque Judaeae concessae et Arabiae. cf. Virg. Georg. I, 57; II, 115 sq. Bredov.

quae] cf. Foecundiora — lucosque, i. e. quorum succus — expressus et liquefactus labitur. Tamen et ipsae arbores dici possunt exprimi ad similitudinem vocc. effodiendi, ἐκτέμνειν.

continuantur] i. e. continuae, finitimae sunt. Bredov.

in tantum — degenerant] i. e. degenerant a libertate, quia ceteri Germani fere omnes liberi, hi servi: degenerant a servitute, quia servientes populi regibus ideoque viris servire solent, hi feminis. Pichena. Degenerant ut Virg. Aen. I, 79. concilias sqq.

XLVI.

De Peucinis, Venetis et Fennis.

Peucinorum Venetorumque et Fennorum nationes Germanis an Sarmatis ascribam, dubito; quanquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone, cultu, sede ac domiciliis ut Germani agunt. Sordes omnium ac torpor procerum; connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum foedantur. Veneti multum ex moribus traxerunt; nam quicquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. Hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia et domos fingunt et scuta gestant et peditum usu ac pernicitate gaudent; quae omnia diversa Sarmatis sunt, in plaustro equoque viventibus. Fennis mira feritas, foeda paupertas: non arma, non equi, non penates; victui herba, vestitui pelles, cubile humus. Sola in sagittis spes, quas, inopia ferri, ossibus asperant. Idemque venatus viros pariter ac feminas alit; passim enim comitantur partemque praedae petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur; huc redeunt juvenes, hoc senum receptaculum. Sed beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus, suas alienasque

---

foedantur] Rhen. Ald. foedatur.
illaborare] Man. elaborare.

XLVI. Sordes — procerum] i. e. proceres non modo sordidi degunt, ut tota gens, sed torpentes nihilque agentes. Passov.

foedantur] cf. c. II. XX.

ex moribus] sc. Sarmatarum.

peditum] v. c. VI. VII.

diversa] Oppositae res facile inveniuntur.

ossibus asperant] spiculorum vice praefixis. Hess.

ingemere agris] agro colendo diligentem (quam ipsi putant molestam) operam impendere.

suasque — versare] ad suas aliorumque fortunas au-

fortunas spe metuque versare. Securi adversus homines, securi adversus Deos, rem difficillimam assecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus esset. — Cetera jam fabulosa: Hellusios et Oxionas ora hominum vultusque, corpora atque artus ferarum gerere. Quod ego, ut incompertum, in medium relinquam.

---

ut illis — esset] Put. Mon. in illis — esset.
vultusque, corpora] Nor. Put. Mon. vultusque et corpora.

---

gendas „inter spem metumque, timores inter et iras — versari."

securi — adversus Deos] Non quo nullos credant, sed quod nihil habentibus adimere nihil possunt Dii. Ernest.

in medium relinquam] ut in custodiam haberi v. Walch. Emendd. Liv. p. 46.

In der C. G. Fleckeisenschen Buchhandlung sind folgende nützliche Schulbücher erschienen:

Günther, Dr. G. Fr. C., Abriß der allgemeinen Geschichte. Grundlage für den universalhistorischen Unterricht auf Gymnasien. 8. 1823. Preis 12 ggr. in Partieen 10 ggr.

Elementarbuch, Griechisches, für die ersten Anfänger, enthaltend, außer einem dreifach geordneten griechisch-deutschen Vocabularium, auch die nöthigen Lesestücke und Schemata zur Deklination, Comparation und regelmäßigen Conjugation. Herausgegeben in Verbindung mit den Gymnasiallehrern Dr. Elster u. Dr. Francke, von Dr. G. Fr. C. Günther, Director des vereinten Helmstedt-Schöningenschen Gymnasiums zu Helmstedt. 8. 1825. 10 ggr.

Quinctilians Lehrbuch der schönen Wissenschaften in Prosa. Aus dem Lateinischen übersetzt von Heinr. Phil. Conr. Henke, Mit Anmerkungen und Vorreden begleitet von G. Bened. v. Schirach. Neu übergearbeitet, berichtigt und mit höchst nöthigen Bemerkungen bereichert von Dr. Jul. Billerbeck. 3 Thle. 8. 1825. 2 rthlr. 12 ggr.

Billerbeck, Dr. Jul., prosodisch-metrischer Wegweiser in der Griechischen Sprache. Zum Privat- und Schulgebrauch für Jünglinge und Lehrer. 8. 1825. 20 ggr.

Berlin, Jul., (Prediger zu Ostingersleben) merkwürdigste Begebenheiten aus der deutschen Geschichte, in chronologischer Ordnung. Ein Leitfaden für den Unterricht. Zweite verbesserte u. vermehrte Auflage. 8. 1825. 6 ggr.

Campii, Joach. Heinr., Robinsonius minor. E germania edit. XIII. denuo latine vertit perpetuaque vocabulorum et phrasium observationumque grammaticarum et lexicographicarum serie Broedero atque Grotefendio ductoribus in usum tironum illustravit Joh. Friedr. Theoph. Nagel. P. I. 8. 1823. 20 ggr.

Q. Horatius Flaccus Oden und Epoden. Deutsch von Dr. Karl Fr. A. Scheller. 8. 1822. 20 ggr.

Lesebuch, deutsches, für die mittlern Gymnasialklassen. Herausgegeben von den Lehrern des vereinten Helmstedt-Schöningenschen Gymnasiums zu Helmstedt. Zweite verbesserte Auflage. 8. 1825. (25 Bogen) 12 ggr.

aoo